

Le texte proposé ici reprend, pour l'essentiel, le choix fait par Geneviève Demerson dans son édition de 1972.

## IOANNIS AURATI ODAE.

AD HENRICVM MESMIVM IOANNIS AVRATI GENETHLAIACVM.

O\_1 v.1 Non albus udis visceribus furens  
 2 languor tumentem rupit acerbius  
 3 ventrem, cavis non Dindymene  
 4 tympana sic ovibus tetendit,  
 5 ut nostra nuper vix oneri parem  
 6 tendebat alvum Margaris, improbo  
 7 turbata costarum tumultu ; et  
 8 voce vocans paritura Divos,  
 9 sed praeter omnis nomine comparem  
 10 te, Margaris, te congeminat, suam  
 11 clamatque Lucinam, graves quae  
 12 leniter excuteres labores.  
 13 Nec tarda voces audierat Dea,  
 14 vagitus aures cum pepulit meas  
 15 jam patris, auras et salutat  
 16 aethereas lacrimosus angor.  
 17 An fallor ? inquam, et ludit amabilis  
 18 error, mihi dum credulus auguror  
 19 stulte quod exopto ? Secundum  
 20 sit precor, accipio sed omen.  
 21 Vix haec, et a me conspicitur rubens  
 22 elapsus arcto lubricus e sinu  
 23 partus, mihi quo res domusque  
 24 aucta mea, incolumi parente,  
 25 Henrice, quem tu, Mesmiadum decus,  
 26 molli cadentem susciperes manu,  
 27 si fas, et in vitale lumen  
 28 auspicio insereres secundo,  
 29 et cui fores tu quod puero fuit  
 30 quondam tibi Rex ille Navarrius,  
 31 cujus beatus purpuratas  
 32 protinus incubuisti in ulnas :

33 nec non per omnes hinc numeros tuae  
 34 aetatis ex hoc omine conditae  
 35 regum fores gratus lacertis  
 36 quos rudis ac puer imbuisti.  
 37 Signis fides nec tarda fidelibus  
 38 certum futuri praestitit exitum :  
 39 sic vix recluso figere ora  
 40 principis ausus eras ocello.  
 41 Quin et tenella fronte serenior  
 42 lucere visus semper honos tibi,  
 43 quem Regis olim combibisti  
 44 ex placida gravitate, paruit.  
 45 Nam te novae dum sceptriger inserit  
 46 amplexus aurae. Regis anhelitu  
 47 afflante te, traxere clarum  
 48 nescio quod tua sidus ora.  
 49 Quale in recentem Juppiter impulit  
 50 dum quassat intra brachia Cynthium,  
 51 nondum jubatos igne crines  
 52 fulminibus radians retusis.  
 53 O ter beatum nunc quoque me, mea  
 54 in prole si te fixeris altius,  
 55 multumque eo de Rege tecum  
 56 jam tenero insinuaris ori,  
 57 ut factus ipso transitus exerat  
 58 de fonte multum luminis : attamen  
 59 quodcumque restabit penates  
 60 sufficiet rutilare nostros.  
 61 Nec me movet quod presserit insolens  
 62 Lucina sexum non trucis in genas  
 63 vultus, tamen non educabo  
 64 femineas teneram per artes,  
 65 sed pro quasillis mollibus et colis  
 66 tractabit aptam vel brevioribus  
 67 testudinem palmis, tenellos  
 68 adteret unguiculosque nervis,  
 69 et pro Minervae pectine, pectinem  
 70 Apollinarem, stamine pro rudi  
 71 mutoque lanarum, metalli  
 72 aerisonas pecudum<que> fibras ;  
 73 quo more Lesbis (sed probior tamen)  
 74 Siren viriles in popularium  
 75 coetu puellarum tenores  
 76 sueta gravi simulare plectro.  
 77 Talem futuram spondeo jam mihi.  
 78 Quid plura ? Parvam si facibus tuis  
 79 criniveris, nosterque pecten  
 80 finxerit, hanc stupeat secundam  
 81 Latona natam, nata gemellulum ;  
 82 sic cum sororis lumine Cynthium  
 83 miscebit erroremque blandum  
 84 ambiguo faciet decore.  
 85 Hac lege de te jam modo nil querar,  
 86 effeminatrix improba liberum  
 87 Lucina, dum femella vultu  
 88 sit mihi, mas patria sed arte.

(vers lacuneux : correction pour la métrique)

89 Sat sum beatus sic quoque nec Deos  
 90 majora posco : fata superstitem  
 91 tantum signent quae persequatur  
 92 Mesmiadum fide patris hymnos.

AD HENRICVM MESMIVM,  
 DE PATRIS ERGA IPSIVS FRATRISQVE PRAECEPTOREM LIBERALITATE.

O\_2 v.1 Indigna muto facta silentio  
 2 patris verendi erumpere gestiunt  
 3 dudum sub auras, et virorum  
 4 per memores volitare linguas.  
 5 Sed longa tantis pagina laudibus  
 6 debetur, olim carmine filii  
 7 explenda, postquam grande campi  
 8 mensus erit spatium forensis,  
 9 quo more quondam fertur in Alpibus  
 10 diffulminantes Hannibalis minas  
 11 lentosque Cunctatoris astus  
 12 Silius Italicus sonasse,  
 13 cum Tullianis ante tonitribus  
 14 centum ferisset pectora iudicum,  
 15 dein se senex rus abdidisset,  
 16 cultor agri atque operis Maronis.  
 17 Et tu parentis cum velut Herculis  
 18 aequaris olim fortis Hyllus gradus,  
 19 saltus et in nostros licebit  
 20 magna tui patris acta portes,  
 21 Henrice, qui nunc in patrias tuo  
 22 cum fratre laudes excoleris, fori  
 23 tirunculi ambo, sed senecta  
 24 multa quibus veterana cedit.  
 25 Scimus tenello quantus inarserit  
 26 nostras in artes pectoris impetus,  
 27 vix vixque magno sustinendus  
 28 et patris et monitoris aestu  
 29 Lemovicis, qui tunc veterum tibi  
 30 exempla pandens, saepe domesticum  
 31 natumque patris jam decennem  
 32 abstulit ad graviora rerum.  
 33 Quae te sibi dum nunc quoque vendicant  
 34 magno laborum calcare, nominis  
 35 mucrone districtum paterni,  
 36 pellicibusque adimunt Camenis.  
 37 Hoc interim per nostra tamen tuis  
 38 devota pridem plectra penatibus  
 39 albis olorum subvehendum  
 40 remigiis dabimus sub astra :  
 41 insigne patris Mesmiadum recens  
 42 in liberorum jam emeritum docent,  
 43 praesens quod admiretur aetas,  
 44 seraque posteritas adoret ;  
 45 jam nunc repertum qui, sine saeculi  
 46 praesentis exemplo, memor in suos  
 47 sumpti diu natos laboris,

48 inter eos numeret magistrum.  
 49 In Mesmianam jam Maludanos  
 50 donis adoptans prodigialibus  
 51 gentem suis, et mancipatos  
 52 aedibus insinuans bonisque.  
 53 Jam Mesmium, jam Mesmiadas canam  
 54 natos, patremque, nobile Vasconum  
 55 sidus : meis jam Mesmianus  
 56 notus erit Maludanus hymnis.  
 57 Pomponianum non Cicero suum  
 58 mutasse nomen laetior audiit,  
 59 et syllabae crevisse tractu  
 60 Caecilii tabulis supremis  
 61 quam nos, recens ut nuntius accidit  
 62 nostras ad aures splendidioribus  
 63 ornasse rectorem juventae  
 64 muneribus juvenum parentem,  
 65 et quae decerent praemia, vocibus  
 66 auxisse molem muneris ac decus  
 67 cum diceret : "Partem meorum  
 68 nunc tibi do reliquorum ut arrham :  
 69 tu, noster esto ; tu, patrios focos  
 70 segnis Vigennae quos vada vix rigant  
 71 mutare jam nunc fortis aude  
 72 Sequanidum potiore lympha.  
 73 Tun parva parvis addita turribus  
 74 castella, demens, nunc etiam times,  
 75 auctore me, mutare tali  
 76 (namque timere videbat) urbe ?  
 77 Tun urbe tali vertere villulam,  
 78 quam fas sit urbem dicere verius ?  
 79 Non magna pro magnis relinquens,  
 80 pro populis reliquis popellum ?  
 81 Haec jus in omnem dicere Galliam  
 82 praelata et haec diis lecta minoribus,  
 83 est regibus sedes avita  
 84 Francigenis puerisque Regum.  
 85 At non Tolosa, credo, Lemovicis  
 86 cedit : Garumnis nympa Vigennide  
 87 nec pejus incompta renidet,  
 88 iudice te, horridiusve pexa est.  
 89 Quin ipse montis parvus apex mihi  
 90 natalis (ut scit testis et incola)  
 91 Marsani, amor nympae Tolosae,  
 92 Lemovicas prope provocabit.  
 93 Quem cum suis non segnis amoribus  
 94 sprevisse, nec nunc etiam piget  
 95 sprevisse, quamvis et palatii  
 96 nympa sui faceret potentem.  
 97 I nunc, et illos nescio qua tuos  
 98 radice pastos glandibus et feris  
 99 (praelunium quas Arcadum instar  
 100 dente terunt miseri suillo)  
 101 praepone plenis principis urbium  
 102 urbis plateis atque feracibus  
 103 glebis, quibus cedant Athenae

104 fruge soli, populisque Roma,  
 105 ambae disertis faucibus et choris  
 106 vatam, paterna voce vel exteris  
 107 certare linguis versibusque  
 108 cum veterum ingeniis potentum."  
 109 Sic fatur. Ille ad verba novissima  
 110 subrexit aures, matris et immemor :  
 111 "Hic, hic ero (inquit) grandis auctor  
 112 consilii mihi munerumque.  
 113 Hic vita tecum et cum paribus tibi  
 114 vitalis, ac non cum rudibus meae  
 115 quamvis propinquis atque amicis  
 116 indigenis patriae Vigennae.  
 117 Nec miror (addit) si Pylades meus  
 118 Auratus olim fixerit hic larem.  
 119 Ac nuptias frugaliiores  
 120 praetulerit nuribus paternis,  
 121 contentus una nec propria domo,  
 122 hujus sed urbis non vacua artium  
 123 quas vel tribus praefert Corinthis,  
 124 nedum abaci patrii salillo,  
 125 et quas nec ipsi mens mihi fortior  
 126 sprevisse, quamvis, deditior tuis  
 127 civilium contentionum  
 128 turbinibus, minus haec frequentem  
 129 humaniorum ludicra mentium,  
 130 non semper acres apta palatii  
 131 inter labores, et clientum  
 132 longius a strepitu remota.  
 133 Miscenda sed sunt dulcia tristibus,  
 134 nec post feras <.> turpe forensium (vers lacuneux : 10 syllabes)  
 135 rugas putandum est actionum  
 136 lusibus explicuisse frontem.  
 137 Quos hic et annis in juvenilibus  
 138 lusi, virum nec ludere cum tuis  
 139 me sic puta natis nefasta  
 140 luce nefas, tria dum silentur  
 141 praetorianis verba cohortibus,  
 142 nec est agendi lege licentia,  
 143 sed, feriatis lingua et aure,  
 144 justitio fora clausa torpent."  
 145 Haec ille. Nunc at talibus (ut vides)  
 146 et nos diebus Pierios jocos  
 147 rubris patrum non occupato  
 148 legibus offerimus legendos,  
 149 antiqua tecum Mesmiade et tuo  
 150 cum patre nobis fratreque gratia,  
 151 jam trita, si possit politu  
 152 cotis Apollineae novari.

AD FONTEM ARCVLII, SIVE HERCULII PAGI IN AGRO PARISINO.

O\_3 v.1 O Fons Arculii sidere purior,  
 2 aestum marmoreo frigore qui domas,  
 3 quamvis arva furens Erigones canis

4           lentis excoquat ignibus,  
 5       seu tu nomen habes arcubus a tuis,  
 6       quorum relliquiae semirutae patent  
 7       moles, quae geminis nunc quoque cornibus  
 8           incumbunt geminae tibi :  
 9       magni forsán opus regis apostatae,  
 10      qui, missus Latii finibus advena,  
 11      sedes hic posuit, jugera Gallici  
 12          princeps multa tenens soli.  
 13      Seu fors grata tibi causa vetustior  
 14      hujus nominis est, atque libentius  
 15      audis Herculii fons, et ovans tui  
 16          crescis laudibus Herculis.  
 17      Nam fama est et in haec clavigerum loca  
 18      advenisse patrem, sive tricorporis  
 19      cum monstri domitor gente ab Iberica  
 20          victorem retulit pedem,  
 21      seu tunc Hesperidum cum decus auferens  
 22      silvis ac pretium, ditibus aurei  
 23      mali ponderibus tardus, Atlanticis  
 24          vix undis caput extulit.  
 25      Hinc Graiis etiam Gallicus Hercules  
 26      notus, cujus erat forma catenula,  
 27      aures quae traheret pensilis aurea  
 28          vulgi, orator et eloquens.  
 29      Forsán cultus et hic Herculeus pater  
 30      quondam, non minus ac Gadibus in suis.  
 31      Qua fons, Herculeo par tibi nomine,  
 32          templum dicitur Herculis  
 33      perfudisse sacris rite liquoribus :  
 34      qui (mirum) mare cum cresceret aestuans  
 35      decrecebat, ubi deficeret, suo  
 36          exundabat ab alveo.  
 37      Hujus tu veteris fontis imaginem  
 38      servas ; namque duplex imminet arx tibi  
 39      illis aequa columnis, tuus Hercules  
 40          quas finem statuit viae.  
 41      Fors et nunc Nemees terror ubi furit,  
 42      urens cuncta suis sideribus Leo,  
 43      te numenque tuum vitat, et Herculis  
 44          arcus horret adhuc sacros.  
 45      Fons tu nobilium gloria fontium,  
 46      quotquot Naiadum Sequanidum sacra  
 47      semper voce sonant, semper amabili  
 48          nympharum strepitant choro.  
 49      Nec te vincat honos famaue gurgitis,  
 50      quem pendentis equi protulit ungula :  
 51      sic te celsus et hinc claudit et hinc duplex  
 52          umbo structilis aggeris.  
 53      Instar montis, aquas qui gemini tegit  
 54      umbra verticis et Pegasidum nemus :  
 55      hic Phoebó sacer, hic non ululatibus  
 56          umquam, Bacche, carens tuis.  
 57      Sunt hic et sua Baccho et sua Apollini  
 58      consecrata loca : est numinibus suis  
 59      non indigna quies, seu genium soli,

60           artem sive quis exigat.  
 61       Hinc Blandina patent tecta salacibus  
 62       gratas in latebras Capripedum jocis,  
 63       lascivique gregis, qui sequitur Deum,  
 64           cui colles virides placent.  
 65       Illinc Aonidum lusibus, et patri  
 66       Phoebo cara domus stat Segueria,  
 67       non adversa viris numen amantibus  
 68           et Musarum et Apollinis.  
 69       Tu dum nostra tuo flumine temperas  
 70       exsiccanda piis pocula vatibus,  
 71       nos circum vada, circum latices tuos,  
 72           has laudes canimus tibi.

AD P. RONSARDVM VMVM NOBILEM.

STROPHE I

O\_4   v.1   Lyrae potentes Camenae,  
       2    agite, quis deum, herosve,  
       3    homo quis fidibus inseri  
       4    poscit ? Satis Pisa jam,  
       5    Jovisque memoratus  
       6    Olympus, sacrum et  
       7    Herculis patris opus :  
       8    at nunc patriae principem  
       9    chelys, apud Celticos  
 10    decus grande populos,  
 11    debet nos suo  
 12    sibi Pindari can-  
 13    -tu personare: numeros-  
 14    -que Gallicos Latiis

ANTISTROPHE

15       remunerari haud inultos.  
 16       Itaque par pari reddens,  
 17       nova plectra resequare novis :  
 18       clavumque clavo velut,  
 19       retundam ego reperta  
 20       meis Italis  
 21       patria Indigenaque,  
 22       Ronsarde, tua : o flos virum, et  
 23       decus olivi, aut illius  
 24       virilis, quo oblinitur,  
 25       et artus terit  
 26       Amyclaea pubes,  
 27       aut illius, quod hilares  
 28       fere Camenae obolent.

EPODE

29       Nam seu quis artem sinuosaque  
 30       corporis volumina volet,

31 (quibus corpus apte  
 32 vel in equum, vel de equo  
 33 volans micat in audacibus  
 34 pugnis) stupebit dicatum gravibus umbris  
 35 Musarum, agilibus quoque  
 36 saltibus Martis expedisse membra.

## STROPHE II

37 Inertis oci laborem  
 38 probet ametque sin alter :  
 39 iterum stupeat, ut cavae  
 40 nervis maritans lyrae  
 41 virum decora praesig-  
 42 -nium, claraque  
 43 facta, sidera vehat  
 44 Supra, memoranda omnibus,  
 45 sine modo fineque.  
 46 Puellaribus et in  
 47 choris, et dapes  
 48 super, Principumque  
 49 mensas, sacras ut epulas,  
 50 deumque nectareos

## ANTISTROPHE

51 solent sonare inter haustus  
 52 patris Apollinis grata  
 53 modulamina : superum  
 54 intus remugit domus  
 55 beata, geminatque  
 56 sonos, seu libet  
 57 bella dicere deum,  
 58 stragesque Gigantum et neces :  
 59 sua cum in ipsos gravi  
 60 refluxere juga cum  
 61 ruina, Jovis  
 62 manu, fulminumque  
 63 vi fracta, ut aetheris apex  
 64 suas opes tremere.

## EPODE

65 Sive mavult faciles sui  
 66 patris impetus, et aquilae  
 67 rapaces volatus  
 68 strepere dulci lyra.  
 69 Quod excutiat e frontibus  
 70 rugas deorum, serenetque Jovis ora,  
 71 siquando nimis impiae  
 72 asperarunt in arma saeva gentes :

## STROPHE III

73 ad hos canentis lepores.  
 74 Quasi sopore devictus,



75 sua tela digitis pater  
 76 ponit remissis : jacet  
 77 utrumque latus ales  
 78 clinans super  
 79 sceptrata fulva Jovis, et  
 80 ceu sponte fluitantia  
 81 gemina dans brachia  
 82 tuis victa fidibus,  
 83 et alas pares,  
 84 fovet frigidum igne  
 85 languente fulmen : ea vis  
 86 tuis modis, fidicen,

## ANTISTROPHE

87 inest, Apollo, sed in diis  
 88 tua Chelys celebretur,  
 89 modo non alia regnet in  
 90 terris honoratior  
 91 ea, vada Ledi quae  
 92 et ornat solum  
 93 Vindocinum: ubi super  
 94 somnos puero ab arduae  
 95 apice quercus volans.  
 96 apum examen agile  
 97 suum melleum  
 98 in os nectar infans  
 99 ingessit, hocque tenerum  
 100 tibi imbuit latice,

## EPODE

101 Ronsarde, guttur, Tyrio velut  
 102 aliti ferunt, prope suae  
 103 caput juge Dirces,  
 104 nota foret quae lyrae  
 105 utrumque fore mox principem  
 106 gentilis, altos sonans quae raperet Orco  
 107 reges, Jovis Olympici  
 108 sanguinem, melle tinctulos per hymnos.

## STROPHE IV

109 Amanda virtus, magistri  
 110 negat et abnuit curam :  
 111 sine fraude, sine et artibus  
 112 excurrit in campum equus ;  
 113 canis nemora rimans-  
 114 -que venaticus  
 115 prensat, haustibus hians  
 116 notis, sine dolo feras  
 117 latibulis jam quoque  
 118 cubantes ; nec opera  
 119 docentis canunt  
 120 per agros amictae  
 121 pennis aves ; neque sonum

122 amabilem citharae

ANTISTROPHE

123 eburneae temperas tu,  
 124 nisi duce et magistro te  
 125 tibi, Petre. Amor at in tuos  
 126 candorque amicos, suum  
 127 decus sibi adimens, ar-  
 128 -rogat ceteris,  
 129 invidens sibi male.  
 130 Quos inter erat et locus  
 131 mihi aliquis : nec nego  
 132 tibi saepe Latium  
 133 per et Doricum  
 134 nemus, colligentem  
 135 thymbram, thymumque, casiam-  
 136 -que, pabulo solitum

EPODE

137 praebere me : dulcis apiculae  
 138 more, tu labella tenera  
 139 ad haec porrigebas  
 140 rudia fundamina  
 141 favi, tibi tua quae dein  
 142 polita cura, diu saepeque operose.  
 143 Nectar coaluere in hoc,  
 144 quale non stillat Hybla, non Hymettus.

AD EVMDEM EIVSDEM.

O\_5 v.1 Quis te deorum caecus agit furor,  
 2 Ronsarde, Graium fana recludere  
 3 arcana ? Lucos quis movere,  
 4 quos situs et sua jam vetustas  
 5 formidolosos fecerat ? O novum  
 6 non expavescens primus iter lyrae  
 7 tentare, Romanis quod olim  
 8 turpiter incutiat pudorem,  
 9 nil tale quondam tangere pectine  
 10 ausis Latino, quale ferox sonat  
 11 Cadmi colonus septichordi,  
 12 liberius jaculans ab arcu.  
 13 Tu primus, ut jam trita relinqueres  
 14 testudinis vestigia Gallicae,  
 15 aggressus, excluso timore,  
 16 Ogygio tua labra fonte  
 17 mersare, voces indeque masculas  
 18 haurire, dignas principibus viris,  
 19 quorum tua sacrata buxo  
 20 facta sui stupeant nepotes.  
 21 Felix ter o qui jammmodo fortiter,  
 22 te vate, sese pro patria geret,  
 23 quod non suos oblivioso

24 dente teret senium labores,  
 25 seu quis rebelli frena Britanniae  
 26 portans, ferocis fregerit impetus  
 27 gentis, suos in limitesque  
 28 reppulerit nimium vagantem,  
 29 avulsa seu quis membra rejunxerit  
 30 regno resectae brachia Galliae,  
 31 atque Italas assertor urbes  
 32 reddiderit solitis habenis.

IO AVRATI IN D. MARGARITAM REGINAM NAVARI.

O\_6 v.1 Qualis quadrigis raptus ab igneis  
 2 sublime Vates in liquidum aethera  
 3 venit, manu flammante frenos  
 4 ignipedum moderans equorum,  
 5 cum fulguranti lapsa Senis sinu  
 6 vestis supinas decidit in manus  
 7 vatis minoris, flammeosque  
 8 visa cadens rutilare tractus  
 9 a tergo, ut olim quum ruit, aut procul  
 10 visum superne proruere incitum  
 11 sidus, serena nocte, longos  
 12 pone trahens per inane sulcos.  
 13 Sic nunc amictus Margaris horridos  
 14 gravata, fecis participes suae  
 15 natalis, exuto veterno et  
 16 corporeae gravitate molis.  
 17 Sublimis orbis attigit igneos,  
 18 nitens quaternis ad Superos rotis :  
 19 Spe cum Fideque et Caritate,  
 20 vique malae patiente sortis.  
 21 His vecta sursum Diva jugalibus,  
 22 tam nunc beatis coetibus interest,  
 23 Regina non parvae Navarrae,  
 24 sed patuli solidique regni.

IN GELONIN MACRINI.

AURATI ODE AD NUMEROS ODES PINDARI OLYMPIACAE IIII

STROPHE I

O\_7 v.1 Lacerate, vellite saevis  
 2 manibus violas  
 3 crinium sacrorum,  
 4 Heliconiades ; rumpite vestros  
 5 smaragdifluos amictus ;  
 6 foedate sinus herbicolores ;  
 7 planctu sint liventes lacerti,  
 8 non virore lacus  
 9 perennis, atque musco ;  
 10 candens ebur levium pectorum  
 11 crebra turpet inusta macula ;

12       roseas unguis secet genas ;  
 13       hinc et sonet inde  
 14       fragor lacrimabilis  
 15       novem per ora,

ANTISTROPHE I

16       nemus ut biverticis umbrae  
 17       tremat, et gemino  
 18       bis retundat antro  
 19       novies repetitos ululatus,  
 20       lugumque bifrons Gelonin  
 21       clamare, reclamare Gelonin  
 22       exsultet plausu lacrimoso.  
 23       Fons equi solito  
 24       regurgitetur alveo,  
 25       turbante dulces liquores sale  
 26       tristium laticum per oculos  
 27       Aganippeae cadentium  
 28       turbae. Jacet eheu,  
 29       sui jacet eheu bona  
 30       amica vatis.

EPODE I

31       Quid prosunt sacra tot duobus  
 32       mente pia peracta ?  
 33       Preces quid usque vota que  
 34       vestras facta prius tot ad aras ?  
 35       Tot ab utroque carmina vestra  
 36       in aede, Pegasides,  
 37       dicta, tholisve sacrata ?  
 38       Num mitiores Gelonis  
 39       ob id sensit improbas  
 40       colus ? Lachesiaque  
 41       sibi pensa minus incitato  
 42       voluta turbine ?

STROPHE II

43       Hilaris virentiaserta  
 44       hederae, solitus  
 45       tu quibus, Macrine,  
 46       redimitus, amandos Hymenaeos  
 47       Gelonidis insonare,  
 48       jam nunc tua de fronte Cupressus  
 49       excluit; jam plorata Taxus  
 50       fronde funerea  
 51       tibi genas inumbrat.  
 52       Quae culpa vatis, nefas quod viri  
 53       innocentis in his gemitibus  
 54       luitur ? Quos tu Deum focos.  
 55       aut quod temerasti  
 56       sacrum nemus insciens,  
 57       ut hos moveres

## ANTISTROPHE II

58 miserabili fide luctus ?  
 59 Quibus Odrysii  
 60 caelibis querelas  
 61 superas, nimium lege severa  
 62 amanda iterum carentis  
 63 uxore, nec ultra modulato  
 64 exorantis cantu secundos  
 65 conjugis reditus.  
 66 Gravis, sed heus amanti  
 67 parcendus error, nigri parcere  
 68 urna ni Jovis indocilis, ah,  
 69 foret, infernas ubi semel  
 70 portas penetrarunt  
 71 levi pede corporis  
 72 inanis umbrae.

## EPODE II

73 Per quas illa Macrinis, illa  
 74 nuper iit Gelonis,  
 75 amata conjugi suo  
 76 quantum nulla feretur amata  
 77 mulierum poeticolarum.  
 78 Nec illa quae Clario  
 79 tam fuit intima vati  
 80 Lyde ; Philetæ nec illa  
 81 amor Battis et labor  
 82 magis neque placuit  
 83 Megalotrata Laconi nota  
 84 sui lyra viri ;

## STROPHE III

85 sua non Cyrenigenæ plus  
 86 fuit Apidanis  
 87 cara Lais ; aut illi,  
 88 elegos tenues qui modulatus  
 89 volubiliore tractu.  
 90 princeps teneros scripsit amores  
 91 Mimnermus, Nanno ; non Theoris  
 92 gratior Tragici  
 93 patri fuit cothurni ;  
 94 Eoæ non Ascraï sic jecur  
 95 vatis Ascrigenæ tetigerat ;  
 96 neque sic jucunda filio  
 97 Lunæ Antiopea ;  
 98 nec Icariotida  
 99 Homerus arsit

## ANTISTROPHE III

100 gravius, solo licet exsul  
 101 patrioque lare  
 102 summa tot pericla

103 mare per rapidum verus Ulysses  
 104 tot et tulerit laborum.  
 105 Immensa quibus pagina crevit,  
 106 aerumnas, dum vult ora vere  
 107 nosse Penelopes,  
 108 canenda longiori  
 109 ambage filoque vivacium  
 110 carminum, quibus et prior et haec  
 111 modo quae floret, futuraque,  
 112 volventibus annis,  
 113 propago canat piaae  
 114 jugalis acta.

## EPODE III

115 Sed nos quo ruimus calores  
 116 enumerare priscos  
 117 cohortis Hippocreniae ?  
 118 Nullus tam gravis ardor amicae  
 119 veteribus fuisse poetis  
 120 feretur, ille tui  
 121 quem thalami pius ignis  
 122 non obruat nunc, Macrine.  
 123 Amor magnus omnis est,  
 124 sed in face socia  
 125 ut honestior, ita est et acri-  
 126 -or esse viscera.

## STROPHE IIII

127 Mihi si manus docilis sit  
 128 ebur aut similes  
 129 expolire ceras,  
 130 liquidisve tabellas animare  
 131 coloribus, aut metalla  
 132 caelo, tua nunc prima, Geloni,  
 133 doctam conformarem per artem  
 134 ora, parva quidem,  
 135 amanda sed marito  
 136 solacia ingentis aegro mali.  
 137 Cujus et pietas et amor  
 138 facis extinctae meretur ut  
 139 vultum Polycletus  
 140 tuum, manus aut Scopae  
 141 redonet orbo.

## ANTISTROPHE IIII

142 Sed honos caducus imago est,  
 143 fragilisque teri  
 144 dente putris aevi ;  
 145 meliore fide carmina servant  
 146 sibi data, lege certa,  
 147 figmenta virum luce carentum.  
 148 His te certatim viva vatium  
 149 cuspis excavat in

150 perennibus metallis :  
 151 quos inter omnes vir aurum tuus  
 152 limat, aera recudit alius ;  
 153 Chalybeas ille laminas,  
 154 hic album orichalcon ;  
 155 sinus ego tortiles  
 156 sequace vibro

## EPODE IIII

157 argento tenuis, sequensque  
 158 tenuia cum labore.  
 159 Sed o mihi si copia  
 160 majoris foret ulla paratus,  
 161 tibi sepulchra qualia lucter  
 162 Supra minas vehere  
 163 Pyramidum aut Obeliscos !  
 164 Pulsu chelys grandiore  
 165 remolitus arduis  
 166 supercilia jugis,  
 167 Aracynthus apex quod olim  
 168 stupebat insolens.

## STROPHE V

169 Age vos, Panegyris alma  
 170 gregis Elysii,  
 171 turba fraudis expers,  
 172 date tura focis, spargite flores ;  
 173 sonis hilarate faustis  
 174 plausuque diem : castior umbra  
 175 adventat, succeditque lucis  
 176 innocens placidis.  
 177 Procul, procul sit inde  
 178 triplex hiatus trucis Cerberi,  
 179 et sororia flagra, totidem  
 180 animas quae territant sonis.  
 181 Cum verbera clare  
 182 crepant tria sibila  
 183 tribus lacertis.

## &amp;ANTISTROPHE V

184 Procul inde quae patruales  
 185 potuere malis  
 186 exsecare cultris  
 187 jugulos, neque blando revocatae  
 188 sopore virum jacentum  
 189 sunt, ah, miserae, ne truce ferro  
 190 primaevas fauces inquinarent.  
 191 Turpis inde procul  
 192 sit aureae redemptrix  
 193 torquis, gravi quae maritum neci  
 194 misit Argolicum, nimis amat  
 195 pretiosa dum monilia,  
 196 baccasque rotundas.

197 Sit inde, sit procul  
198 levis Lacaena,

## EPODE V

199 et quaecumque facis jugalis  
200 rumpere foedus ausa est.  
201 Fidelis umbra non nisi  
202 fidas ire meretur ad umbras.  
203 Paribus ut pares socientur,  
204 sit huic comes vel ea,  
205 quae comitata mariti  
206 est fata, vel quae maritum  
207 redemit sua nece.  
208 Pios pia numeros  
209 loca per mulierum piarum  
210 Gelonis augeat.

## STROPHE VI

211 Ubi semper Oceaninae  
212 hilarum nemus, et  
213 insulas beatas  
214 recreant tepidis flatibus aerae.  
215 At aureoli renident  
216 flores, sua quos educat arbor  
217 partim late splendente ramo.  
218 Mater ast alios  
219 alit fovetque tellus,  
220 suffusa rivis perennantibus ;  
221 vulgus uda per arva placidum  
222 manibus dulces rapinulas  
223 exercet, ut agmen  
224 apum, populans novo  
225 salicta vere.

## ANTISTROPHE VI

226 Ita simplices animorum  
227 thiasi, sua per  
228 prata perque saltus,  
229 loca pervolitant omnia late  
230 leves, agitantque praedas  
231 florum, quibus hi nectere thyrsos  
222 certant, illi texunt corollas,  
233 Pars at exiguos  
234 sibi plicare torques  
235 gaudent, manus quis, et ornent comas.  
236 Interim canor undique avium  
237 tenero vernante gutture,  
238 exsultat in auras,  
239 propinquaue sidera  
240 jocosa pulsant



## EPODE VI

241 silvas inter ovans imago.  
 242 Par ibi nocte tota  
 243 dieque solis aurei  
 244 puros purior orbita lustrat,  
 245 neque maligna nubila luci,  
 246 nec officit tepidis  
 247 bruma geluque serenis.  
 248 Nullus tumultus quietis,  
 249 pavor nullus obstrepit,  
 250 sed omnis in epulis  
 251 mora conteritur, inque Musis  
 252 canentibus Jovem.

## AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM CAROLVM GVISIVM CARDINALEM LOTHARINVM.

O\_8 v.1 Seu quis praemia fortium  
 2 lauros a domitis rettulit hostibus,  
 3 seu quis pacificas colens  
 4 artes consiliis oppida temperat,  
 5 idem mentibus omnium  
 6 ardor laudis inest : nec via taetricae  
 7 virtutis placeat, nisi  
 8 tantis gloria sit digna laboribus  
 9 merces proposita, et decus  
 10 aeternum ; sed enim saepe silentio  
 11 turpi pulchra latent, nisi  
 12 accedat labor et cura perennium  
 13 vatum : vatibus, o viri,  
 14 quos aeterna juvat gloria nominis,  
 15 inservite bonis : recens  
 16 vatum semper opus durat et vivo  
 17 numquam tempore carpitur,  
 18 nec foedam cariem, nec veterem situm  
 19 sentit ; perbreve marmora  
 20 restant tempus, et aes putris imaginum  
 21 aerugo tenuat ; sacros  
 22 diffindit tumulos vis hederacea ;  
 23 Solis perpetuus nitor  
 24 exstat carminibus ; sunt nisi carmina.  
 25 Paucos post volucres dies  
 26 quae virtus fuerit vestra tacebitur.  
 27 At non vestra tacebitur  
 28 umquam, Guisiadae, splendida gloria :  
 29 vestrum sera tamen decus  
 30 omnis posteritas audiet, haud minor  
 31 semper cura quibus fuit  
 32 largis muneribus carmina prosequi  
 33 vatum quam dare vatibus  
 34 clari materiem carminis uberem,  
 35 iidem qui geritis cani  
 36 res dignas loca per Gallica plurimas,  
 37 iidem vos quoque plurimos  
 38 doctos munificis usque favoribus

39            augetis ; favet artibus  
40        aptis quisque sibi fama quibus sua  
41            ac laus dulcis, et illius  
42        vates egregios artifices amant :  
43            quod vobis quoque contigit.  
44        Frater clara tuus proelia conserit,  
45            antistes Lotharingiae ;  
46        tu, rem consiliis utilibus regis  
47            pacis tempore publicam,  
48        nec te militiae subtrahis asperis  
49            fortem casibus arbitrum.  
50        Scimus principis ut dulce comes latus  
51            omni tempore clausuris,  
52        quo non trita prius per Lotharingiae  
53            Germanique soli loca  
54        Henricus sua Rex duceret agmina.  
55            Scimus frater uti tuus  
56        Metis reppulerit Caesaris impetum,  
57            et, ceu nomen ab omine  
58        urbs sortita foret, fixerit ultimas  
59            metas hostis ibi trucis,  
60        quas ultra nequeat, quidquid agat, suum  
61            jam transferre pedem, neque  
62        jam transire minax, non magis impigri  
63            quam Gades ratis Herculis.  
64        Quod gestare ferox ille solet suas,  
65            non insigne domesticum,  
66        deplumes aquilas inter, adultera  
67            frustra laude sibi placens,  
68        quam Guisana tamen dextra redarguit  
69            nuper : nunc is in asperam  
70        conversus rabiem, conscius ut sibi,  
71            quondam vulneris altius  
72        acti torvus aper vertit in omnia  
73            sese, quo fugiat recens,  
74        si fas, opprobrium. Sed neque fas nigrae  
75            tingi vellus ovis, neque  
76        partum segnitiae dedecus elui  
77            factis prosperioribus.  
78        Inclinata labat jam domus Austriae  
79            nec jam fata resurgere  
80            [LACUNE]  
81            Rursus regna sinent feri  
82        praedonis populorum, omnia qui sua  
83            spe complexus, uti latus,  
84        ast deceptus hians, irritus improbi  
85            voti, nec quid agat satis  
86        aut quo vertat iter gnarus : in ultimas  
87            an se turpiter insulas  
88        Astrusurus eat, vel potius caput  
89            ad poenas sibi debitas  
90        longae perfidiae nomine jam ferat  
91            Gallis cominus ensibus,  
92        expectata nigris manibus hostia.

## AD IO. VAEVRAEVM, RECENS COOPTATVM IN COLLEGIVM CANONICORVM HEDVENSIVM.

O\_9 v.1 Augusta tellus, et vetus urbs, simul  
 2 augusta et ingens nomine, sed viris  
 3 augustior, quos usque gignis  
 4 artibus ingenioque claros.  
 5 Tu, Galliarum paene potissima  
 6 pars dicta quondam, tu, populis potens  
 7 armisque, summum Gallicarum  
 8 credita tu caput esse rerum.  
 9 Sed nil perenni robore cernitur  
 10 inesse terris, perque suas vices  
 11 humana nunc tolluntur astris,  
 12 nunc subita trepidant ruina :  
 13 Troes fuerunt, et fuit Ilium  
 14 ingens ; favillis crevit ab Ilii  
 15 superba Roma, mox et ipsa  
 16 nil nisi grande futura bustum,  
 17 bustive grandis relliquiae putres  
 18 (namque et senectus urbibus est sua  
 19 et gentibus), nec tu, priores  
 20 semper eras habitura vires,  
 21 augusta moles. Quanta tamen fuit  
 22 olim tuarum nobilitas opum,  
 23 testantur ipsae nunc ruinae,  
 24 et vetus ambitus ille muri.  
 25 Sed mitte maestas jam querimonias,  
 26 jam mitte, Clio : nunc quoque maxima  
 27 et digna tanti restat umbra  
 28 nominis urbs veterique fama,  
 29 latam vetustae falx licet amputet  
 30 silvam cupressi, multa manet tamen  
 31 sospes prioris pars odoris  
 32 in reliquo mutiloque trunco.  
 33 Et nunc in urbis stat veteris solo  
 34 antiqua gentis plurima gloria,  
 35 seu quis requirat firma pubis  
 36 pectora, sive animos et artes.  
 37 Sed quid Camenae cum lituis ? Quid est  
 38 bello potentis cum populi asperis  
 39 pugnis ? Inermes nunc sat artes  
 40 arte mei celebrare plectri.  
 41 Vaevraee dulcis, tu decus artium  
 42 ingens bonarum, mens tibi callida  
 43 non unius linguae, nec unam  
 44 discere sedula disciplinam.  
 45 Graecas, Hebraeas, et Latias simul  
 46 tu res amasti ; tu sacra litteris  
 47 miscere, qua fas est profanis,  
 48 me solitus socio atque teste.  
 49 Ob quae remotis te tua finibus  
 50 non immerentem patria devocat,  
 51 Vaevraee, tellus Haeduorum,  
 52 ut meritos in eas honores,  
 53 virtutis unis quos licet artibus  
 54 Augustoduni, nec petere ambitu

55 foedo : decoris tanta rebus  
 56 laus et honos apud hosce montes.  
 57 Et nunc amico non ego gratuler  
 58 tanti favoris nomine ? Non bonis  
 59 Musis apud vos tam beatis,  
 60 tam celebres meritis favores ?  
 61 Jam vos, Camenae, fidere, jam decet  
 62 rebus secundis tollere spiritus :  
 63 jam digna vestro sunt labori  
 64 praemia docticolas per urbes.  
 65 Vobis et ipsis non ego gratuler,  
 66 coetus foventum recta sodalium ?  
 67 Per quos viris virtute claris  
 68 est sua non sine dote virtus.  
 69 Jam te reportent in patriam tuo,  
 70 Vaevraee, coetu sospite sospitem  
 71 leves Favoni sibilantis  
 72 blanditiae, volucrumque plausus,  
 73 ut gratulantum gratus in agmine  
 74 docta salutes voce sodalium  
 75 coetum, suas doctos quod ultro  
 76 amplificas vocet ad cathedras.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM CAROLVM CARDINALEM LOTHARINGVM.

O\_10 v.1 Portat in auratis Victoria, Carole, pennis  
 2 Henricum ad caelum, Guisiadenque tuum.  
 3 Et mea nunc praeter solitum temeraria Musa  
 4 ad caelum audaci nititur ire via.  
 5 Sed si blanda tui subvexerit aura favoris,  
 6 quos canit, astra super Musa secuta canet.

IN GVISII DVCIS REDITVM EX ITALIA.

O\_11 v.1 Solvant Camenae triste silentium,  
 2 solvant, et acri Guisiaden lyra  
 3 cantent, remoto jam Britanno  
 4 moenibus a patriis tumultu.  
 5 Nuper secundus dum terere Annibal  
 6 fastus superbos tenderet Alpium,  
 7 ausi feroces tum Britanni  
 8 Gallica sunt penetrare rura  
 9 orbata tanto praeside, tot virum  
 10 cum caesa foede millia, proh nefas,  
 11 tot vincta ductorum pudendis  
 12 brachia nobilium catenis.  
 13 Jam gloriari quidlibet insolens  
 14 jactabat Anglus, celsa Lutetiae  
 15 se templa fundo diruturum  
 16 sacrilegis spoliata dextris.  
 17 Sed Guisiani fama ferociam  
 18 gentis superbae contudit ocus :  
 19 vix ductor auditur redire  
 20 Guisius, et fugitant Britanni,

21 ut forte viso cum cane Thessalo  
 22 immanis ausi conscius aufugit  
 23 agna lupus laxis remissa  
 24 faucibus, horribilique dente.  
 25 Nec mirum, agebat non stimulus ducem  
 26 in bella simplex : mixtus erat dolor  
 27 acer pudori, capta signa  
 28 Gallica, se revocatum ab ausis,  
 29 ut Poenus olim, Scipio cum ureret  
 30 arces Elisae, jam Capitolio,  
 31 cuncto timente jam Senatu,  
 32 signa domum revocare jussus.

DE CALETVM VRBE NVPER A GALLIS GVISIO DVCE RECEPTA.  
 CARMEN ALTERNUM : LOQUUNTUR INTER SE NVNTIVS ET VVLGVS GALLICI.

		N.	(Dans les pièces dialoguées
O_12	v.1	Clamate, Galli, nunc ter io io.	le signe - indique un
		V.	changement d'interlocuteur
	2	Quae laeta Gallis instat ovatio ?	à l'intérieur du vers.)
		N.	
	3	Capti Caletes. - Multa paucis	
	4	Digna novo memoras triumpho.	
		N.	
	5	Vicere Galli, sed duce Guisio :	
		V.	
	6	io triumphe, nunc ter io io.	
		N.	
	7	Vicere victores Britannos :	
		V.	
	8	nunc ter io, ter io triumphe.	
		N.	
	9	Annos ducentos serva Britanniae	
	10	urbs liberata est. - Nunc ter io io.	
		N.	
	11	Migrate jam, prisca coloni.	
		V.	
	12	Nunc ter io, ter io triumphe.	
		N.	
	13	Illinc Philippus pulsus Ibericus.	
		V.	
	14	Pulsus Philippus ante Valesius.	
		N.	
	15	Ut nominum, sic fata rerum.	
		V.	
	16	Nunc ter io, ter io triumphe.	
		N.	
	17	Rex pulsus Anglis ante Valesius ;	
	18	Rex nunc repellit ecce Valesius	
	19	Henricus Anglos. - Est nepos, est	
	20	ultus avos : ter io triumphe.	
		N.	
	21	Medi feroces Ecbatana ob sua.	
		V.	
	22	Angli minaces ob sua Risbana.	

- N.
- 23 Sed capta Graecis illa, Gallis  
24 viribus haec. - Ter io triumphe.
- N.
- 25 Non jam Britannos ardua moenia  
26 servant Caletum. - Nunc ter io io.
- N.
- 27 Non aestuarii fossa clausi.
- V.
- 28 Nunc ter io, ter io triumphe.
- N.
- 29 Qua nuper Anglus oppida Gallica  
30 trux assilibat liberius vagans,  
31 hac assilit nunc Gallus Angla.
- V.
- 32 Nunc ter io, ter io triumphe.
- N.
- 33 Nunc praeda praedo factus. - Io io.
- N.
- 34 Victusque victor. - Nunc ter io io.
- N.
- 35 Nunc provocator provocatur.
- V.
- 36 Nunc ter io, ter io triumphe.
- N.
- 37 Henricus auctor tam subiti boni,  
38 qui Guisium cum fulminibus suis  
39 misit Caletes territorum  
40 igne suo. - Ter io triumphe.
- N.
- 41 Hispanus hostis non semel hunc ducem  
42 sensit valentem. - Tuncne Valentia est  
43 cum capta ? - Et ad Rantina castra,  
44 atque Mosellica. - Io triumphe.
- N.
- 45 Olim puellae vis Lotharingicae  
46 Pellebat Anglos (mira, sed acta res)  
47 a Gallia ; nunc Gallia Anglos  
48 vis iterum Lotharinga pellit.
- V.
- 49 Fatale quoddam jus Lotharingiae est  
50 Gallos ab armis asserere Anglicis  
51 quondam puellari, virili  
52 Marte recens : ter io triumphe.
- N.
- 53 Rex ane dux est ipse beatior ?
- V.
- 54 Ambo beati. Rex duce, Rege dux.
- N.
- 55 Ambobus ergo ambo canamus :
- V.N.
- 56 nunc ter io, ter io duobus.

## AD HENRICVM VALESIVM REGEM INVICTISS. DE CALETICA VICTORIA.

## ALTERNIS LOQUUNTUR DUO DE PLEBE GALLICA.

Gallus I.  
O\_13 v.1 Audax Iberus conjugio novo,  
Gallus II.  
2 dotalis audax imperio insulae,  
G. I.  
3 Henrice, te tentarat ultro,  
G. II.  
4 nunc timet ante tuos Caletes.  
G. I.  
5 Sic ultro Atriden voce lacessere  
6 ausus superba uxorius ille Phryx,  
G. II.  
7 sic mox lacessitum refugit  
8 conjugis in gremium recurrens.  
G. I.  
9 Jurgavit uxor tunc reducem Parin,  
G. II.  
10 jurgabit uxor nunc reducem virum,  
G. I.  
11 quod turpiter cessisset ille,  
G. II.  
12 quod modo turpiter iste cessit.  
G. I.  
13 Ergo (inquirebat tunc Helene suo)  
14 victus redis tu semivir a viro !  
G. II.  
15 Ergo redis tu (dicet Angla)  
16 victe viris vir Ibere Gallis !  
G. I.  
17 At non eras id pollicitus tuae,  
G. II.  
18 non, sed subactae jura Lutetiae,  
G. I.  
19 et sceptrum regni Gallicani :  
G. II.  
20 pollicitis leve pondus amplis.

## DE REGE HENRICO, IN EQVO VEREDO AD CALETES VECTO. Duo Viatores.

V. I.  
O\_14 v.1 Quem tam citato fert levis impetu  
2 sublimem in auras Persea Pegasus ?  
V. II.  
3 Henricus est, quem fert volentem  
4 nunc equus ad domitos Caletes.  
V. I.  
5 Numquid resectae Gorgonis in manu  
6 colla, et cruentas exuvias quatit ?  
V. II.  
7 Non colla, sed raptum Medusae  
8 ille quatit spoliolum Britannae.

V.I.

9 Quis junctus illi purpureo volat  
10 fulgens galero, et purpurea stola ?

V.II.

11 Non tu sacrum noscisc galerum  
12 Mercurii, similesque vultus ?

V.I.

13 Num Perseo iste Mercurius dedit  
14 falcatum et ensem, et verba salubria ?

V.II.

15 Quidni ? Dedit sed fratris ensem,  
16 ipse suos monitus salubres.

DE DVCIS PARMENSIS COPIIS A FERRARIANO PRINCIPE NVPER FVSIS FVGATIS.

O\_15 v.1 Dum Guisiani fervet adhuc recens  
2 plausus triumphi, plausus adest novus :  
3 Ferrarii quem dextra nuper  
4 Martia Marte tulit secundo.  
5 Ergo tropaeum dux geminus duplex  
6 uno excitavit tempore, de domo  
7 una : jugalis namque taeda  
8 una duos sociat penates.  
9 Ferrarianam Laurea filiam  
10 duplex coronet : quam meruit suus  
11 illinc vir, hinc frater, receptis  
12 ille Caletibus, hic Iberum  
13 caesis virorum tot modo millibus  
14 in montium radicibus, oppidum  
15 ad Rhegii, quos infidelis  
16 parma ducis male protegebat.  
17 Ferrariani o ferrea dextera !  
18 Quae tot cruores sparsit Ibericos  
19 uno sub ictu, ut lata campos  
20 sanguinis obrueret procella.  
21 Qualis frementi murmure proruit  
22 torrens supinis collibus in cavas  
23 valles, ut horrendam propinqui  
24 diluviem trepident coloni.  
25 Unis beata, o Gallia, sat novis  
26 esses opimis, sed cumulat Deus  
27 Paeane Paeanem, rependens  
28 damna lucris tua feneratis.  
29 Hic expiabit annus (ut incipit)  
30 anni prioris dedecus : accipe,  
31 o Gallia, omen. Sed deum quis  
32 vestra tropaea, Duces, ligavit ?  
33 Idemne qui vos ante ligaverat  
34 connubiorum nexibus aureis.  
35 Nunc ferrei junctos triumpho  
36 in fragili religat catena ?  
37 Tam forte quae vis solvere vinculum  
38 possit ? Quis illud diruere impetus ?  
39 Est magna vis affinitatis,  
40 major erit socii tropaei.



IN CONVENTVS AB AVGVSTISSIMO GALLORVM REGE HENRICO II  
 PARISIIS HABITOS NONIS IANVARIIS 1558.  
 ALLEGORIA.

O\_16 v.1 Audacis juvenis cum temeraria  
 2 virtus, patris equis usa protervius,  
 3 flammasset superum templa, novos sacris  
 4 ignes ignibus inserens,  
 5 casu sollicitus Juppiter aetheris  
 6 compescit prius ignem, atque deum metus.  
 7 Tum circumspiciens cuncta perambulat  
 8 regni laesa sui loca.  
 9 Postquam intacta rogis cetera et integra  
 10 deprendit solito more perennia  
 11 stare a perpetuis nexa adamantibus,  
 12 praeter siqua vorax vapor  
 13 jam consumpta avidis carpserat ignibus,  
 14 in partem vacuum labe deos vocat  
 15 omnes, semideosque, et simul infimae  
 16 plebis praecipuos duces,  
 17 communisque super clade periculi  
 18 in commune jubens subsidium dare,  
 19 sic ipse in mediis ora resolvere.  
 20 Sacris vocibus orsus est :  
 21 "Res magna, o Proceres, nunc agitur : salus  
 22 omnis vestra meis nixa palatiis.  
 23 Quae laesa a subita conspicitis face :  
 24 nam quae vestra. Dei, salus.  
 25 Si servantia vos tecta Jovis ruant ?  
 26 Vos ergo in medium consulite, et meis  
 27 vestrisque exitium pellite sedibus,  
 28 pro se quisque fideliter.  
 29 Certe summa fides ac pietas mea  
 30 in vos semper erit : hujus et obsidem  
 31 (si fas dicere, sed fas mihi) filium  
 32 do communiter omnibus."  
 33 Dixit, nec mora : dii verba Jovis suis  
 34 excepere sonis. Prima Jovis fides,  
 35 Hermes, purpureis cinctus honoribus,  
 36 his Regem resecurus est :  
 37 "Quis non de superis tam placido et bono  
 38 Regi praestiterit, quam meruit fidem  
 39 tot tantisque suis ille laboribus  
 40 in communis opes boni ?  
 41 Cujus primus honor, quod reverentia  
 42 diis templisque deum salva sua est adhuc  
 43 contra barbara tot monstra Gigantium  
 44 caelo bella minantium.  
 45 Alter proximus illi hic Jovis est honor,  
 46 non sivilisse rudi saecula silentio  
 47 torpere, et variis artibus ac sonis  
 48 instruxisse hominum genus.  
 49 Et nunc quanta animi sollicitudine  
 50 conjunctum superumque atque hominum decus

51 incumbit reparare, ignibus impiis  
 52 tentatas superas domos ?  
 53 (Sed quo jam ulterius, quo ruis, o procax  
 54 Musa, augusta deum consiliantium  
 55 parvis dicta modis attenuare ? Age,  
 56 adduc interius rotas)."  
 57 Haec Hermes superum digna favoribus  
 58 divina ambrosio gutture fuderat  
 59 verba, et quicquid opum divitibus latet  
 60 templorum penetralibus,  
 61 offert ad reparanda usta palatia ;  
 62 pubis robora Mars, gnavaque brachia  
 63 fabrorum ; alma catas artificum Themis  
 64 mentes ; aequoreus deus  
 65 largam materiam, marmor, ebur, rubro  
 66 e ponto lapides, quicquid ab ultimis  
 67 terris turba refert alta secantium  
 68 in vastis onerariis.  
 69 Laudatis pariter vox Jovis omnibus,  
 70 conventumque deum, unaque silentium  
 71 solvit : cuncta fremit murmure plausuum  
 72 intus Regia Caelitum.

AD MARGARIN VALESIAM REGIS SOROREM, DE GVINIANA ARCE RECENS CAPTA.

O\_17 v.1 Quis tot recentes sufficiat tui  
 2 fratris triumphos, Margari, dicere ?  
 3 Non fessus ille hostes domando,  
 4 fessus ego domitos canendo.  
 5 Capti Caletes, captaque Risbana,  
 6 et capta nunc arx Guinia, et altero  
 7 alter super rumore rumor  
 8 laetus ovans venit a Britannis.  
 9 Sed Guinii nunc praecipuus labor  
 10 cantu canendus praecipuo mihi est,  
 11 absente quo de Rege curas  
 12 sollicitae minuam sororis.  
 13 Absens receptas ille Caeticas  
 14 turrets recenset, templa, vias, domos ;  
 15 absens recognoscit suorum  
 16 vulnera, facta, tropaea, praedas.  
 17 Hostes Britannos urbis agens pudor  
 18 Gallis receptae post duo saecula,  
 19 pro Guinianis proeliari  
 20 moenibus acrius incitabat.  
 21 Multi furebant intus Iberici,  
 22 fortesque, forti cum duce, milites ;  
 23 Gallos et urgebant Britanna  
 24 durius integra signa fessos.  
 25 Sed, Rege viso, castra recentia  
 26 pugnare credas : tam celeri impetu  
 27 intratur arx tum Guiniana  
 28 vi, sine condicione, capta.  
 29 At dederes te (si saperes satis)  
 30 sicut Caletes, Guinie, et a Duce

31           mox impetrares tam benigno,  
 32           ne rigidos caderes in enses.  
 33           "Punire quos vult pro meritis Deus  
 34           his mentis aufert consilium bonae."  
 35           Caesi rebelles : nunc superbae  
 36           poena alias monet urbis urbes.

DE POETIS ET PRINCIPIBVS VICTORIBVS POETAS AMANTIBVS,  
 AD EVNDEM PRINCIPEM CAROLVM LOTHARINGVM CARDINALEM, CARMEN PINDARICVM.

## STROPHE I

O\_18      v.1      Prisci, Lotharinge, poetae  
           2      quos coronatos comam  
           3      simplici lauro, nec auro.  
           4      duxerant antra in sua Pierides,  
           5      noverant solos amores  
           6      ad calamos modulari,  
           7      siqua puella decens, aut siqua nympha  
           8      dulce florentis iuventae ver agebat.

## ANTISTROPHE I

9           Fulvi nec enim nitor auri  
 10          rusticis adhuc erat  
 11          cognitus Mysis, nec ullus  
 12          rex amandis carminibus pretium  
 13          dixerat, testudinem nec  
 14          tum decorabat eburnam  
 15          aurea lamina, sed vili tabella  
 16          pauper e ligno dabat cantus acerno.

## EPODOS I

17          Tunc quoque Thessalicas  
 18          te, Phoebe, ferunt pecudes ad fistulae  
 19          murmur arundineae duxisse pastum,  
 20          aureos praeter capillos  
 21          nescium quid esset aurum, nec solitum  
 22          auream gestare manu pharetram,  
 23          gemmeave tractare plectra.

## STROPH. II

24          Quis, praeside et auspice vatum  
 25          sic egente et sordido,  
 26          cultiores tunc fuisse  
 27          credat ipsos ? versibus aut aliqua  
 28          constituta tunc ab ullis  
 29          regibus esse vetustis  
 30          praemia ? divitiis reges et ipsi  
 31          cum carentes in toris herbae virentis

## ANTISTRO. II

32 Sub fronde virente cubarent,  
 33 sceptrā nec ferrent manu  
 34 ulla, praeter quam recisa  
 35 matre silva, quae tamen, ut Styga dii,  
 36 sic timebat pejerare  
 37 simplicitas vetus. At nunc  
 38 aurea sceptrā ferunt nostri potentes  
 39 in manu Reges, et aureas coronas.

## EPOD. II

40 Qualis erat Sículus  
 41 rex, aut Hiero, aut Polybulus frater, aut  
 42 tu, Thrasybule, Gelonque, clara proles  
 43 illius potentis omnes  
 44 et velut dulces quadrigae Dinomenis,  
 45 qui tenebant sub ditione sua  
 46 regna totidem foederata.

## STROPH. III

47 Nam Graecia tempore quodam  
 48 dives armis et viris.  
 49 et triumphis et tropaeis,  
 50 atque partis cuspide manubiis  
 51 clara florebat, beatam  
 52 sed stolidam populata  
 53 barbariem : "Nec enim sat tuta lanae  
 54 pellis aureae carens cauto dracone".

## ANTISTRO. III

55 Sic Persia praeda dolosae  
 56 facta quondam Graeciae,  
 57 victa victores beavit.  
 58 At coronae sceptraque frondea mox  
 59 sorduerunt, atque coeptae  
 60 in phalerasque rotasque  
 61 Persides Argolicas frangi tiarae,  
 62 et comae gemmis manusque illuminari.

## EPOD. III

63 Nec mora, cum studiis  
 64 plebs arsit equumque, virumque, qui sacris  
 65 pulverulenta novarent rite ludis  
 66 lustra, fervidisque caute  
 67 flecterent metam quadrigis axifragam.  
 68 Hic videres omnia divitiis,  
 69 omnia coruscare gemmis.

## STROPH. IIII

70 Conferta coibat ad illa

71 Graeca gens spectacula,  
 72 parsque major Barbarorum  
 73 solis ex ipsis prope carceribus  
 74 usque, concurrensque metis,  
 75 cerneret ut decorata  
 76 curricula atque rotas fulvis pyropis,  
 77 et virentibus smaragdis et topazis.

## ANTISTRO. IIII

78 Sed non opulentior ulla  
 79 visa equum solemnibus  
 80 pompa ludis quam potentes  
 81 quas Tyranni ducere sunt soliti,  
 82 insulae reges Triquetrae,  
 83 nec domus ulla coronas  
 84 tot vel Olympiacas, vel tot Nemeas,  
 85 Pythiasve, aut Isthmias sortita plures.

## EPOD. IIII

86 Gloria sed fragilis  
 87 in frondibus arboreis est, et nocet  
 88 dente suo caries longaeva signis  
 89 aureis argenteisque ;  
 90 nec vigeret viva virtus lausque virum,  
 91 qui feribant sidera verticibus  
 92 diis paria quondam per acta,

## STROPH. V

93 Ni provida cura potentum  
 94 divitumque principum,  
 95 id timens, fabros vocasset  
 96 qui perennes arte sua statuas  
 97 elaborarent, eposque  
 98 perpetuum, numerosque  
 99 ad citharam modulandos. Tunc Poetae  
 100 rure regales in aulas demigrare

## ANTISTRO. V

101 jussi, manibus repulerunt  
 102 stridulas arundines,  
 103 ut Minerva, cum foratam  
 104 tibiam, deformiter os tumidum  
 105 et genas divaricantem.  
 106 cerneret amnis in unda.  
 107 Se velut in speculo spectans in illa,  
 108 fertur abjecisse fractam, sic et ipsi

## EPOD. V

109 ligna paludigena  
 110 cera pariter, serie sed dispari,  
 111 rite ligata relinquunt, gemmeasque

112 ad lyras testudinesque  
 113 admoventes daedaleos articulos,  
 114 et caverna sculptilis aut eboris,  
 115 aut tenue clangentis auri,

## STROPH. VI

116 auro similes modulatus  
 117 ediderunt: atque ita  
 118 masculo sunt coepta cantu  
 119 inclytorum fortia facta cani  
 120 principum simulque regum,  
 121 posthabita pecorosi  
 122 deliciis Galatea Tityrilli,  
 123 Pallas et Pali, palatia alta silvis

## ANTISTRO. VI

124 Praelata, jugoque bicomi.  
 125 Nam sues Boeotias  
 126 paverat qui sub vetustis  
 127 pastor olim Pindarus ilicibus,  
 128 aureo tunc coepit arcu  
 129 eminus ejaculari  
 130 tela volantia, ceu canos olores,  
 131 quae sacros Reges tulerunt astra supra,

## EPOD. VI

132 praecipue Siculos.  
 133 quos Juppiter ut genuit, sic editi  
 134 regibus ex atavis horum nepotes  
 135 principes, armis et ipsi  
 136 nobiles, suoque digni genere.  
 137 Sicut et nunc gens Lotharinga probat  
 138 se Siciliae Rege natam.

## STROPH. VII

139 Caros pia quae sibi Gallos  
 140 mente tutans et manu,  
 141 ut suae testes Poetas  
 142 laudis ornet Regia dextra facit :  
 143 unde sese aurata plectra,  
 144 aurea fila chelynque  
 145 noster habere superbit nunc Apollo,  
 146 hos habens dulces apud Regem patronos.

## ANTISTRO. VII

147 Se, qui volet, esse creatum  
 148 optet illo saeculo.  
 149 Falcifer quo Rex egenos  
 150 temperebat atque rudes populos ;  
 151 me juvat nunc esse natum,  
 152 cum decorata nitensque

153 divitiis et honore docta Clio  
154 exuit turpem situs prisca veterum.

## EPOD. VII

155 "Dus alit ingenium,  
156 augetque bonas honor artes, sunt ubi  
157 praemia digna, gravis pondus laboris  
158 quae levent. Nam lassat arvom  
159 pingue, sed fessos juvant frumenta boves :  
160 mellis instar, tristis amaritiem  
161 pabula minuunt aratri.

## STROPH. VIII

162 Certe prope manca sit omnis  
163 vis virorum fortium,  
164 ni sit unde bellicoso  
165 comparentur arma manusque virum  
166 Imperatori Ducique",  
167 tempore sicut et illo,  
168 quo sibi Guisiades tantum suisque  
169 dux paravit nominis, tantumque famae,

## ANTISTRO. VIII

170 virtute quidem duce, verum  
171 cui comes, Fortuna, tu :  
172 meta nam Metensibus  
173 ille terris firma tenaxque manens,  
174 transitum praeclusit hosti  
175 Gallica tecta minanti  
176 ignibus atque globis raptim rotatis  
177 fulminis sese modo mox diruturum.

## EPOD. VIII

178 Sed minuit rabiem  
179 hostis gemina stimulat Erinnyde,  
180 bile pudoreque tabendi pruinis  
181 ante murorum moras, Dux  
182 urbis obsessae fidele praesidium  
183 atque custos, Guisius ille vigil  
184 consilia fraudesque tectas

## STROPH. IX

185 vulpis vetulae speculari,  
186 non minus quam strenuus  
187 ire comminus periculis,  
188 cum vocarent horrida signa tubae,  
189 nec pavere sibilatus  
190 hinc simul hincque per aures,  
191 et cava tempora raptim transmeantem  
192 plumbearum glandium, et ferri volucris.

## ANTISTRO. IX

193 Ergo domus illa beata  
 194 semper est, semper fuit.  
 195 Quae viros sortita tales,  
 196 tamque forti pectore conspicuos,  
 197 tam simul largis abundat  
 198 divitiis proavitis :  
 199 juncta quibus faciles occasiones  
 200 gloriae virtus habet sibi parandae.

## EPOD. IX

201 Saepe suis opibus  
 202 gens auxit opes Lotharinga Gallicas.  
 203 Non ego ficta, nec intestata canto :  
 204 testis est amnis Mosellae,  
 205 altera Rhenusque ripa potus equis  
 206 Gallicis, o Carole docte, tua  
 207 non sine toga, et fratris armis.

## STROPH. X

208 At nuper item sua fratrem  
 209 quo tulit virtus tuum,  
 210 Gallicae robur juventae  
 211 montium per nubiferos apices  
 212 transferentem ? Qualis olim  
 213 Annibal acer aceto  
 214 igneque sulfureo domare saxa,  
 215 qua truces Vestae focus inferret Afros.

## ANTISTRO. X

216 Dispar modo causaque duxque  
 217 perforandarum Alpium.  
 218 Infideles tunc Iberi,  
 219 infideli sub duce, Romulea  
 220 templa, Tarpeias et arces  
 221 diruere igne manuque  
 222 per rabiem indomitam stulti parabant,  
 223 sed sua in contrarium spes vertit ipsis.

## EPOS. X

224 At Lotharingus agens  
 225 agmen juvenum (pia castra) principum,  
 226 ibat ut horribiles arceret ignes  
 227 a Quirini moenibus, quae  
 228 Turca tum tamquam profanus, hostis Iber  
 229 trux furebat sternere fracta solo,  
 230 omina Deo non probante.



## STROPH. XI

231 Jam tela retorta volabant  
 232 in manus quae torserant,  
 233 ut Gigantes cum sepulti  
 234 sub ruinis procubuere suae  
 235 molis affectantis astra  
 236 scandere more nefando :  
 237 "Nam genus est hominum sensu carentum.  
 238 Qui nefas pugnare diis non esse ducunt."

## ANTISTRO. XI

239 Quae quantaque, Tibri, videres  
 240 impiorum funera ?  
 241 Quot rotares non inanes  
 242 sub cruentis vorticibus galeas ?  
 243 Quas resecta fronte plenas  
 244 Guisiaci furor ensis  
 245 demeteret, dominis raptasque truncis  
 246 fluctibus mandaret Etruscis ferendas.

## EPOD. XI

247 Sed properavit Iber  
 248 ("Tandem sua per mala vir stultus sapit")  
 249 sancire fidem populo cum Romuli,  
 250 et pedem referre Roma,  
 251 te timens, Henrice, cujus Guisiades  
 252 in Latinos pro Latio populos  
 253 signa cruce portabat alba.

## STROPH. XII

254 Annibal alter iens tum  
 255 fregit Alpes Guisius,  
 256 pace Romanis sed acta,  
 257 dum rediret, cautus erat Fabius  
 258 a dolis Florentianis  
 259 agmina salva tueri,  
 260 atque tuis, o Ibere fraudulente,  
 261 Punica cui vetus est fides in armis.

## ANTISTRO. XII

262 Contra tua vota minasque  
 263 Guisius reversus est.  
 264 Et reversus est vocatus,  
 265 ut Britannas pelleret hinc pharetras,  
 266 sic et a Roma retractus  
 267 Annibal, ut patriae urbi  
 268 subsidium, sed inane, ferret. Ast hic  
 269 ancora sacra suis Gallis refulsit.

## EPOD. XII

270 Gallia jam penitus  
 271 flammis et erat populanda caedibus,  
 272 clade tot ante virum Gallis Ducumque  
 273 accepta, et inflatis secundo  
 274 proelio, urbis atque direptae spolio  
 275 hostibus, cum grata superveniens  
 276 Guisias hasta, sua umbra terret Anglos.

## STROPH. XIII

277 Ut, cum lepores capreaeque  
 278 agmine lasciviunt  
 279 ludibundo per patentis  
 280 aequor arvi, vere nitente novo,  
 281 siqua uisa transvolantis  
 282 vulturis accipitrisve,  
 283 quae cito pingat agros, nigrans imago,  
 284 terror imbelles feras in antra cogit,

## ANTISTRO. XIII

285 sic territa tum revocavit,  
 286 Guisio viso, gradum  
 287 vis Ibera, vis et Angla :  
 288 seque clausos continuere suis  
 289 moenibus, qui nuper ultro in  
 290 moenia nostra ruebant.  
 291 Hos tamen arce Caletum, apes ut alveis,  
 292 Guisius eruit igne, acrique fumo.

## EPOD. XIII

293 Nec remorata virum est  
 294 natura, nec ars loci inexpugnabilis,  
 295 improba non hiemis bacchantis ira.  
 296 Sprevit Iccii pruinas,  
 297 Alpium qui jam nives non horrerat.  
 298 Undecim quae mensibus urbs fuerat  
 299 capta, totidem nunc diebus

## STROPH. XIII

300 est Marte recepta volucris  
 301 Regis, et gnavi Ducis,  
 302 Regis Henrici, Ducisque  
 303 Guisiani, quorum ego saepe libens  
 304 juncta cantabo tropaea.  
 305 Saepe Jovi suus est Mars  
 306 dulciter associatus a Camenis,  
 307 ille fulminum vi victor, hic sed hasta.

## ANTISTRO. XIII

308 Galli Jovis hinc quatiebant

309 saeva muros fulmina.  
 310 Inde Guisius pavens nil,  
 311 Dux agebat mille secuta ducem  
 312 agmina irruptura tures,  
 313 mille simulque frementum  
 314 sub Duce fratre suo turmas equorum  
 315 tertio cum fratre Neptunus parabat,

## EPOD. XIII

316 classe manuque frequens,  
 317 per mille virum fodi en tum brachia  
 318 mille tridentibus armata atque palis,  
 319 aggere exaequare fossas.  
 320 Sed receptui, urbe capta, jam canitur  
 321 bella, Clio, mitte, jubente tuba,  
 322 et cane triumphum, arma differ.

IN NUPTIAS MARIAE REGINAE SCOTIAE LOTHARINGIA ORIVNDAE.  
 CARMEN ALTERNVM.

I.

O\_19 v.1 Cantata nuper vis Lotharingici  
 2 Martis furores ulta Britannicos,  
 style="text-align: center;">II.

3 cantanda nunc est rursus ipsi  
 4 juncta Venus Lotharinga Marti.  
 style="text-align: center;">I.

5 Stirps una gentis nobilis unius  
 6 hinc certat armis, fortibus et viris  
 7 augere Gallos, - inde claris  
 8 conjugis, nuribusque pulchris.  
 style="text-align: center;">I.

9 Multum vetustis illa quidem domus  
 10 fulget tropaeis : fulget honoribus  
 11 per bella, per pacesque partis  
 12 vi valida sobolis virilis.  
 style="text-align: center;">II.

13 At non minorem sexus habet minor  
 14 laudem, puellis jam Lotharingicis  
 15 in bina binis regna missis.  
 16 Regibus et geminis fugatis.  
 style="text-align: center;">I.

17 Scotus Stuardus Rex Lotharingicam  
 18 legit Mariam quam sibi jungeret ;  
 style="text-align: center;">II.

19 Rex Gallus en nato Mariam  
 20 matre satam sociat Maria.  
 style="text-align: center;">I.

21 Regnare quondam gens Lotharingiae est  
 22 gavis alumnos atque mares suos ;  
 style="text-align: center;">II.

23 regnare nunc gaudet vicissim  
 24 gens Lotharinga suas puellas.

I.  
 25 Mater beata. - Nata beatior.  
 I.  
 26 Regina mater. - Filia major est  
 27 regina, cum sceptro paterno  
 28 Gallica sceptrata viri maritans.  
 I.  
 29 Est docta mater. - Filia doctior.  
 I.  
 30 Est pulchra mater. - Filia pulchrior.  
 31 Non se dolebit victa vinci  
 32 se genitae genitrix Mariae.

## CARMEN IN NVPTIAS DVCIS LOTHARINGI ET CLAVDIAE REGIS GALLICI FILIAE II.

ALTERNIS CANUNT LOTHARINGVS, GALLVS.

LOTH.  
 O\_20 v.1 Cui, te cui similem, Dux Lotharingice,  
 2 heroum veterum nostra canet lyra ?  
 3 Parvo tu similis sponsus Achilleo,  
 4 illi te similem canam.

GALL.  
 5 Quaenam, quae tibi par, Claudia Gallica,  
 6 heroina vetus, quam tibi conferam ?  
 7 Par pulchro ore tibi Deidamia : te  
 8 illi carmine conferam.

LOTH.  
 9 Cultu femineo vafra suum Thetis  
 10 celabat puerum virgineis choris  
 11 mixtum ; mater et hunc in thalamis sua  
 12 servabat muliebribus.

GALL.  
 13 Maternis tamen ille erutus e dolis  
 14 Tydidae artibus et callidi Ulyssei ;  
 15 maternis latebris erutus est et hic  
 16 prudentum ingenio virum.

LOTH.  
 17 Missi sunt gemini quaerere Achillea,  
 18 quaesiturus at hunc ultro iit ipse Rex  
 19 Gallorum, nitido pulcher in agmine  
 20 turmarum juvenilium.

GALL.  
 21 Pelidem eliceret virgineo e grege  
 22 ut Laertiades monstrat ei unicum  
 23 ensem ; hunc eliceret matris ut e sinu  
 24 totam Rex aciem explicat.

LOTH.  
 25 Is, viso ense, levis femineae sinus

26 vestis rupit, iens Argolicis comes ;  
 27 hic gaudens tot equum millibus et virum,  
 28 matrem deseruit celer.

GALL.

29 Si numquam Aeacides cauta cubilia  
 30 liquisset Thetidis, non tot Homericis  
 31 esset carminibus vectus ad aethera  
 32 aeternis similis Deis.

LOTH.

33 Si noster patriis de penetralibus  
 34 non exisset adhuc Dux, neque Regia  
 35 rexisset teneram cura puertiam,  
 36 non par nunc sit Achilleo.

GALL.

37 Illi semifer in vertice Pelii  
 38 Chiron expedit corpus equestribus  
 39 pugnis ; huic in equis currere Regiis  
 40 ludus jam tenero fuit.

LOTH.

41 Illum verba loqui posse, loquendaque  
 42 exercere manu, perdocuit suos  
 43 Phoenix ; hunc docuit Carolus alteram  
 44 artem, Gvisius alteram.

GALL.

45 Quorsus corporis est vis sine moribus ?  
 46 Fortis, sed puer et vir minus abstinent  
 47 Pelides fuit irae atque libidinis ;  
 48 hic utraque caret nota.

LOTH.

49 Aula dum latet ille abditus hospita,  
 50 virgo falsa, vir est clam patre virginis  
 51 factus turpiter ; huic, Claudia, te pater,  
 52 te mater tua tradidit.

GALL.

53 Claros casta decent gaudia principes.  
 54 Vester luce, palam ducit Achilleus  
 55 nostro Rege satam : castior est Duce  
 56 Phthio Dux Lotharingicus.

LOTH.

57 Cui praestat probitate, huic quoque viribus  
 58 Dii praestare dabunt, si probitate Dii  
 59 gaudent ; arma tamen neutra sequi ut velit,  
 60 hinc mater facit, hinc socer.

GALL.

61 O Dii, vos hominum si miseret precor  
 62 hunc servate, moram Martis, et obicem  
 63 bellorum, medius qui inter Ibericas

64 et Gallas acies jacet.

LOTH.

65 Sin vos bella juvant atque hominum neces,  
66 irati Superi, mittite in impias  
67 gentes, composito foedere, principes  
68 nostros : pax sit apud pios.

GALL.

69 Dum tu cum socero signa feres tua  
70 aris pro patriis, et patriis focis,  
71 in pugnas acuat, Carole parve, te  
72 magni gloria Caroli.

LOTH.

73 Dum tu bella geres, Dux, pia barbaris,  
74 pugnaces animos fac proavi tibi,  
75 Reges cum Siculi, tum Solymi, excitent :  
76 non tu degener es nepos.

GALL.

77 At tu, parvula (nunc) Deidamiola,  
78 conjux Aeacidae, cresce puerperis  
79 mature officiis, et similem viro  
80 flavum concipe Pyrrhulum.

LOTH.

81 Fac ut cara Ducis mater imaginem  
82 te nato in puero noscere Caroli  
83 possit, laeta sibi quod bene cesserit  
84 nunc absentia filii.

GALL.

85 Sin nasci dederint fata puellulam,  
86 sit vultu similis, sit tibi moribus,  
87 exornata bonis corda sit artibus  
88 plus quam colla monilibus.

LOTH.

89 Ne sit Scyria quam virgo minus decens,  
90 ac formosa magis, casta sit ut parens :  
91 non haec thyrsigeris exululat sacris,  
92 ut proles Lycomedia.

GALL.

93 Nostris virginibus grata licentia  
94 non est, nec pietas impia Graeciae,  
95 nec proflata sacris tibia Bacchicis,  
96 mentes cum pedibus movens.

LOTH.

97 Castas casta decent ludicra virgines  
98 ortas principibus, semine principes  
99 aucturasque suo : laetitia colant  
100 aras, sed timeant Deum.

GALL.

101 Hanc veri monitus atque metum Dei  
 102 sat Mater docuit, atque patris Soror.  
 103 Dos est magna genus, forma et opes, sed his  
 104 major mens pia et integra.

LOTH.

105 Felices sociis sub penetralibus  
 106 disciplina quibus contigit optima  
 107 et par conjugium : quod voveat Thetis  
 108 nato, ultro Deus obtulit.

GALL.

109 Felix ergo novi Mater Achillei,  
 110 felix sorte tua, jam moderatius  
 111 fer desiderium flebile Caroli,  
 112 nato ne inideas tuo.

IN TVMVLVM DVARENI, NOMINE MARGARETAE GALLICAE, REGIS HENRICI SORORIS.

O\_21 v.1 O mihi solo, Duarene, note  
 2 nomine et libris celebrique fama,  
 3 quae volat de te varias per urbes  
 4 per populosque,  
 5 sed tamen longo quasi junctus usu,  
 6 sic pie dilectaeque diligende  
 7 et mihi, quamvis levis umbra, quamvis  
 8 nomen inane.  
 9 Quas tibi possum inferias remotus  
 10 Infero, liboque tuo sepulchro  
 11 pauculos versus lacrimasque, nostri  
 12 pignus amoris.  
 13 Tu meas olim solitus Camenas  
 14 (ut ferunt qui istinc veniunt) amare,  
 15 et favere illis, et amica multa  
 16 dicere de me.  
 17 Nunc et has a me tibi denegari  
 18 sit nefas. Galli veteres solebant  
 19 cuique quod cari foret, hoc perempti  
 20 busta piare.  
 21 Sit per exemplum mihi fas vetustum  
 22 ire : quos vivus numeros amabas  
 23 nuper Aurati, tibi libat idem  
 24 auctor eosdem.  
 25 Hanc habe binis tibi pro tabellis  
 26 gratiam, quas (Juppiter) elegantes  
 27 et perornatas memini mihi te  
 28 mittere binas.  
 29 Quam vicem vivo tibi mors vetat me  
 30 reddere, hanc saltem tumulo rependam,  
 31 nil sonans plectro tumidum, sed, ut tu,  
 32 dulce et amicum.  
 33 Nec tibi tantum mea Musa munus  
 34 hoc dabit : doctam simul admonebit  
 35 Margarin fati Duareniani

36                   fata secuti  
 37       Regis ; hic Regis fueras sorori  
 38       tu cliens, contra illa tibi patrona ;  
 39       forsitan fratris tua nunc et umbrae  
 40                   serviet umbra.  
 41       Hoc tibi mors nunc dedit, at recentes  
 42       non dedit taedas Dominae videre :  
 43       quid tamen refert ? Nihil inde damni  
 44                   est tibi factum.  
 45       Nupsit haec, nubens peperitque pacem  
 46       Galliae, sed dira Megaera nocte  
 47       Ditis emergens, thalami triumphos  
 48                   funere vertit.  
 49       Viveres si nunc, simul ipse mecum  
 50       hunc herae casum miserum querelis  
 51       dulcibus plores ; simul ipse mecum  
 52                   carmina libes.  
 53       Nunc ter o felix Duarene tu, cui  
 54       non heram fas est miseram, et beatam,  
 55       morte fraterna, propriisque taedis  
 56                   luce sub una  
 57       cernere : ignoscas, sed ego invidere  
 58       hoc tibi possim, tibi si invidere  
 59       prosperi quicquam pius accidisse  
 60                   possit amicus.  
 61       Quid quod et dulcis procul hinc abibit  
 62       Margaris nostra, et cupidum sequetur  
 63       conjugem, Musas abiensque linquet  
 64                   matris egenas ?  
 65       Tu jaces ergo reliquis dolende,  
 66       sed tibi feliciter et beate :  
 67       lacrimas non has tibi, sed tuorum  
 68                   nomine fundam.  
 69       Tu jaces, inquam, cariturus illo  
 70       funeris primum miseri dolore,  
 71       et jaces illo cariturus altero  
 72                   haud levioere.  
 73       Ille vocalis sine voce nunc es ;  
 74       ille tu nunc es sine mente, cui mens  
 75       tam capax legum, variique juris  
 76                   exstitit olim.  
 77       At tuam vocem pariterque mentem  
 78       nuper absentem juvenes requirunt,  
 79       teque nunc orbi duce, juris errant  
 80                   per labyrinthos.  
 81       Qualis amisso pecudum magistro  
 82       grex egens olim ducis, huc et illuc  
 83       cursitat palans temere per atrae  
 84                   devia silvae ;  
 85       nocte nec sera meminit redire  
 86       ad sibi notum stabulum, tacente  
 87       fistula certo sibi dante flatu  
 88                   signa receptus.  
 89       Alterum nunc tu, Biturix, dolorem,  
 90       alterum nunc es grave passa vulnus,  
 91       quale cum fecit tuus Alciatus



92                   te prius orbam.  
 93       Ille sed vivusque vidensque liquit  
 94       te, suam dulcem patriam revisens,  
 95       hospes externusque ; tuo hunc tibi mors  
 96                   sanguine cretum  
 97       abstulit. Nec spes iterum videndi  
 98       ulla, sed nox hunc et opaca regna  
 99       Ditis aeternum sua dura doctum  
 100                  jura docebunt.  
 101       Si qua nam vitae memores prioris  
 102       ars adhuc umbras tenues fatigat,  
 103       ille non sella procul adstat illic  
 104                  a Rhadamanthi.  
 105       Stans ibi spectat nova, sed severa  
 106       et fora, et subsellia calculosque,  
 107       ipse quos quassat rigidus capaci  
 108                  praetor in urna.  
 109       Nam scholas juris nec habere manes,  
 110       jura nec qui perfidiosa vafre  
 111       explicent, credas. Procul omnis illinc  
 112                  et dolus et fraus :  
 113       nuda lex nudis perarata verbis  
 114       una, nudatas animas reorum,  
 115       pelle detracta, has cito damnat, illas  
 116                  crimine solvit.  
 117       Inde diversos via secta manes,  
 118       ad beatorum loca amoena partim  
 119       ducit, ast illos tenebras ad imas  
 120                  flebilis Orci.  
 121       Te quidem discreta manent piorum  
 122       arva, sic purum sceleris dolique,  
 123       sic tuo gaudentem aliquid de acervo  
 124                  promere amicis.  
 125       Quamlibet Cres in tu<a> facta quaestor       (vers lacuneux)  
 126       acer inquirat, tua jam severo  
 127       non minus censore sub Hospitali  
 128                  vita probata est.  
 129       Ille non te Margaridi clientem  
 130       traderet quondam, nisi te esse dignum  
 131       Principis cura optima deligentis  
 132                  rite notasset.  
 133       Paenitet nec iudicii sui illum  
 134       iudicem de te, tua sic amice  
 135       fata deplorat, tua sic amice  
 136                  nomina laudat.  
 137       O probum quem tam probus approbavit !  
 138       Labis o purum, sine labe quem vir  
 139       ille selegit, dominae deditque  
 140                  labe carenti !

DE ILLVSTRISS. ALLOBROGVM DVCIS D. MARGARETAE GALLICAE  
 E GALLIA MIGRATIONE, AD MARC. CLAU. BUTTETUM.

O\_22    v.1       Cum Gallicam Dux Margarin Allobrox  
           2       sponsus paternos duceret ad Lares,

3 Phryx qualis Eleam puellam  
 4 abstulit axe Pelops eburno,  
 5 non Pisa laeto tempore tristius  
 6 nubente flebat virgine praepete  
 7 orbas palestras, nec cruore  
 8 Oenomai madidas quadrigas,  
 9 quam tota flevit Gallia, quod nurus  
 10 Galli migraret sedibus e soli,  
 11 non illa equestre, sed canorum  
 12 (cujus erat decus) agmen orbans.  
 13 Juste sed Elis passa sit improba  
 14 raptus alumnae, regis et impii  
 15 casum, mala qui fraude Diti  
 16 tot generos socer immolasset.  
 17 At tale Gallos nil meritos sua  
 18 Regemve culpa, funere regio  
 19 mutasse pompas nuptiales  
 20 non levis invidia est deorum.  
 21 Nam rex, nec illo rege fidelior  
 22 hospes, magis nec plebis amans fuit,  
 23 qui pacis ultro sanciendae  
 24 victima sit generosa factus.  
 25 A refricandis, Musa, sed abstine  
 26 saevam vetustis ulceribus manum :  
 27 sat Margaris tunc una Gallis  
 28 causa, superque fuit dolendi,  
 29 Regale linquens Margaris atrium.  
 30 Et fratris aulae transfuga Regiae,  
 31 et tot clientes, tot clientas  
 32 efficiens inopes patronae :  
 33 "Quid nunc misellae, quid facient sua  
 34 orbae (inquiebant) matre Camenulae ?  
 35 Regi quis ultra, quis benigna  
 36 tradet eas ope protegendas ?  
 37 Quod tu solebas, optima Virginum,  
 38 ut virgo quondam, sic quoque femina  
 39 nunc una summe feminarum  
 40 moribus ingenioque praestans,  
 41 proinde et artes ingenuasque tuis  
 42 semper tueri prona favoribus.  
 43 Quas nunc relinquens, destitutas  
 44 vindicis auxilio relinquis."  
 45 Has atque plures his querimonias  
 46 tunc increpabat Gallia flebilis,  
 47 se clamitans omnes suasque  
 48 funditus interiisse Musas.  
 49 At non deis, non haec erat invidis  
 50 mens, ut ferina barbaries genus  
 51 Gallorum, ut olim, nec veteris  
 52 (turpe nefas) rudis occuparet.  
 53 Visum sed illis praesidii satis  
 54 in rege, et ejus principibus situm,  
 55 Francisco, aviti non in artes  
 56 degenerare, aut animi paterni,  
 57 Francisco adultos in puero viros  
 58 qui vicit, acres inque viro senes

59 victurus est, si fata cursu,  
 60 quo semel instituere, pergant.  
 61 Cui Nestorem unum, cui tot Achilleas  
 62 de Guisiana dii tribuunt domo,  
 63 per quos et armis, et salubri  
 64 Gallia consilio triumphat.  
 65 Ergo sat usis palladia Deus  
 66 cultisque Gallis virgine sustulit  
 67 hanc a suis, et ad feroces  
 68 transtulit Allobrogas colendos.  
 69 Illic, ut olim finibus in suis  
 70 doctos fovebat, sic fovet exteris  
 71 et nunc in oris, patriasque  
 72 promovet, atque propagat artes.  
 73 Tu testis unus, tu satis es meis,  
 74 Buttete, dictis et tua carmina.  
 75 Quae Lesbii non Cambriani  
 76 vatis opus neget esse nemo.  
 77 Seu tu recentes ferre per orbitas  
 78 dignare gressum lege carentibus  
 79 rhythmis, catena sive certi  
 80 verba pedis libet alligare,  
 81 tu primus ausus Sapphica Gallicae  
 82 aptare linguae plectra : viriliter  
 83 tu masculae mas e puellae  
 84 fronte rapis meritam coronam.  
 85 Seu facta regum, et proelia principum  
 86 ingentia aequas comparibus modis,  
 87 seu tu pudicos ludis ignes  
 88 nomine sub mutilae capellae,  
 89 dignus tuae qui de dominae tibi  
 90 cornu coronam divite conseras,  
 91 florum quod uber atque frugum  
 92 tu canis uberiore versu.  
 93 Per te Sabaudis Gallicus adstupet  
 94 nunc et Camenis et numeris chorus,  
 95 et patrios miratur hymnos  
 96 tam cito transiliisse montes.  
 97 Istud sed omne muneris est tui  
 98 quae rapta in oras, Margari, dissitas  
 99 Ronsardum ibi Bellaiumque  
 100 atque alium atque alium creasti.  
 101 Nunc ergo famae vecta draconibus  
 102 caelo fereris ceu Ceres altera  
 103 Actaea, quae disseminasti  
 104 Cecropias segetes per orbem.

AD HENRICVM MEMMIVM GENETHLIACON.

O\_23 v.1 Dignus poetae sit venia furor,  
 2 dignus parentis, carmine si novas  
 3 bacchatur ad cunas, opusque  
 4 ipse suum modulatur auctor.  
 5 Nam cur paternas stultus ineptias  
 6 jam celem apud te ? Jam pater es : patres

7       jam scis quid insanire, quid sit  
 8       cum pueris equitare parvis  
 9       natuque grandes, et meritis graves  
 10      olim ducesque, longae in arundinis  
 11      tergo sedentes, sic ciere  
 12      ficta trucis simulacra pugnae.  
 13      Scis ut revertens forte recentium  
 14      multa cruentus caede cadaverum  
 15      Hector, quibus quassarat hastam  
 16      nuper, in his manibus paventem  
 17      quassare suerit Astyanactulum,  
 18      et blanda dulci per galeam oscula  
 19      libare nato cum pararet,  
 20      Gorgonis ille metu paternae  
 21      in matris ulnas se refugo impetu,  
 22      clangore saevo tinnulus abdidit,  
 23      non ante placandus parenti  
 24      quam caput aere truci levasset.  
 25      Quod fortiori nunc etiam tua  
 26      si prole nondum fulta tibi domus,  
 27      at sexus infirmus parentem  
 28      te jubet haud satis esse firmum.  
 29      Vidi ipse, vidi (testene me potes  
 30      istud negare ?) cum pueriliter  
 31      infingeres ad blaesa blaesae  
 32      verba tuum eloquium puellae ;  
 33      vidi ipse, cum tu vel crepitacula  
 34      tantus senator, vel quatiens manu  
 35      puppas, puellarem decoris  
 36      immemor excuteres querelam.  
 37      Nunc ergo, ut olim, nunc iterum meis  
 38      natalibus sit fas mihi cantibus  
 39      te care compellare Memmi,  
 40      atque tuam simul Hannequinam.  
 41      Pax dulce amantum, dulceque conjugum.  
 42      Nam ventilans hanc fidus amor facem  
 43      semper redaccendit tepentes  
 44      nec sinit in cineres abire.  
 45      Nec mirum : ab omni nam retro saeculo  
 46      feliciori non torus alite  
 47      ullus coivit, non magis par  
 48      nupta viro data, virque nuptae.  
 49      Ambos avito sanguine nobiles,  
 50      ambos avitis divitiis pares,  
 51      ambos benignas possidentes  
 52      corporis ingeniique dotes,  
 53      utrumque formae sidere comparem,  
 54      utrumque et aevi tempore supparem,  
 55      utrumque virtutis peraeque  
 56      et decoris studiose amantem,  
 57      utrumque talem, et talibus editum  
 58      accepit unus non sine diis focus,  
 59      olim beatos, et beatos  
 60      progenitos atavis avisque.  
 61      At vos, secundis auspiciis sati,  
 62      a me serendis, atque prius satis

63 estote nunc natis vocati  
 64 cantibus ominibusque faustis.  
 65 Sic vos senectae tempus ad ultimae  
 66 haec sancta amoris foedera mutui,  
 67 concordis et vitae tenorem  
 68 dent pia perpetuare fata.

AD DOCTISS. VIRGINEM CAMILLAM MORELLAM.

O\_24 v.1 O nec paterni degener ingeni,  
 2 et matre docta filia doctior,  
 3 si tu Morelli vera proles,  
 4 veraque filia Deloinae,  
 5 divina sed vis mentis et indolis,  
 6 divinus artes impetus ad bonas  
 7 unam jubet te suspicari  
 8 Mnemosynes Jovis et puellam.  
 9 Non tu puellae ceu reliquae, quibus  
 10 mortalis ortus, parva puertiam  
 11 inter colos lanasque, viles  
 12 inter acus neque transiisti.  
 13 Sed nec Camillae more, tibi dedit  
 14 quae nomen, altis in siluis feras  
 15 sectans, puellarem exuisti  
 16 turpiter ambitiosa sexum.  
 17 Inter paternos sedula sed libros,  
 18 materna versans inter et optima  
 19 praecepta, dum tractas viriles  
 20 facta vir es (velut Iphis) artes.  
 21 Nec jam Camillam dicere, sed mihi  
 22 te fas Camillum, non Latio solo  
 23 qui reppulit Gallos, sed illos  
 24 qui decus in Latium reducet,  
 25 ut non Latinis Cloelia gratior  
 26 transnarit undas Tibridis, obsides  
 27 obses reducens, liberansque  
 28 regis ab imperiis Etrusci,  
 29 quam tu, reductis auspicio tuo  
 30 Gallis puellis ad loca Romuli,  
 31 es grata Romanis futura,  
 32 Romuleae nova dux juventae.  
 33 Sed cur Quirini civibus assero  
 34 te, docta virgo, si revocat sibi  
 35 te vindicatque tota contra  
 36 Graecia teque suas adoptat  
 37 inter puellas laeta poetrias,  
 38 Sappho, Corinnam, quaeque aliae mares  
 39 virgunculae olim provocarunt  
 40 cantibus ingeniisque vates.  
 41 Hinc continentes et simul hinc duas,  
 42 Europa, tradunt diripuisse te ;  
 43 te Graecus orbis, te, Camilla,  
 44 Italicus patriae invidebunt.  
 45 Monstrum puellae tu genita es novum,  
 46 nec vera virgo, nec puer edita,

47           cui forma membris castitasque  
 48           virginea, ingeniumque mas est.  
 49       Miraculum tu nata es et alterum :  
 50       quae, virginalis cum pudor haud sinat  
 51           inter mares nostros adesse  
 52           discipulos, abes, esque praesens.  
 53       Nam Carolus te qui docet, is mihi  
 54       praesens docetur : nostra per hunc tuas  
 55           trajecta vox appellit aures.  
 56       Frater uti media sorore  
 57       cum nocte fulget Cynthius, illaque  
 58       illustrat orbem lumine non suo,  
 59           aut haec ut ad te verba transfert  
 60           carta mei alloquii sequestra.  
 61       Qua nunc rogatam te mihi pervelim,  
 62       ut, sicut hunc tu pectoris excipis  
 63           fetus mei, sic laeta prolem  
 64           corporis excipias recentem :  
 65       mas est puellus ; vult sibi masculam  
 66       paene esse matrem, vult sibi et artium  
 67           doctam paternarum, ad paternas  
 68           auspiciis tibi quae sit artes.  
 69       Non dedecet te quod tua jam parens,  
 70       quod Hospitalis officium, tui  
 71           patris patronus, quod patronus  
 72           praestitit ipsius Hospitalis,  
 73       magnus Camenis ante quidem pater,  
 74       major patronus, lux Lotharingiae,  
 75           lux Galliae, lux Gallicani  
 76           Carolus altera Regis aulae.  
 77       Sed de patrono et de patre, jam quoque  
 78       (si fas poetae dicere) compater,  
 79           qui liberis nostris librisque  
 80           dulce suum dedit ipse nomen.  
 81       I nunc, quod illum non puduit patrem  
 82       Musarum, earum te pudeat, soror ?  
 83           Sed non pudebit, corda novi  
 84           si tua candida, si parentum.  
 85       Hujus laboris participes tibi  
 86       adjungam honestos, si minus artium  
 87           doctos, at illas qui docentes  
 88           officio foveant amico.  
 89       Ignota neu sint et tibi nomina  
 90       Petri Fictae vel Thymierii,  
 91           est Ficta, non ficto favore  
 92           qui mea damna levavit olim,  
 93       proquaestor ultro dum numerat mihi  
 94       Regis benigni praemia cum fide,  
 95           quaestoris alter sed minister  
 96           strenuus assiduusque amicus.  
 97       Collega quod si Carolus ad duos  
 98       accedat illos doctor item tuus,  
 99           spes magna Flandrorum, domusque  
 100       Utenovae rediviva virtus,  
 101       tam dulcis ibit, tam mihi candida haec,  
 102       commatre, lux, te et compatre Carolo,

103 quam Carolus qua summus ille  
104 compater est mihi luce factus.

## AD PACEM

O\_25 v.1 Pax alma Divum, Pax hominum decus  
2 dulce et voluptas, respice Galliam,  
3 longis fatigatam ruinis  
4 per triplicem populi tumultum.  
5 Te voce poscunt supplice pauperes  
6 ruris coloni, cum lacrimabili  
7 matrum, et fame dira sitique  
8 semineci grege liberorum.  
9 Tristi vovet te pallidus otio  
10 mercator, infestasque latronibus  
11 urbes et agros questus omnes,  
12 atque mari abstinet atque terra.  
13 Te fessa belli fessaque sanguinis  
14 jam saepe fusi nobilitas cupit,  
15 natisque matronae nurusque  
16 ante diem viduae maritis.  
17 Ipsi te equique et ruricolae boves  
18 foedis rapinis jam nimium diu  
19 vexati, agri te ipsi requirunt.  
20 Heu ! vacui et male feriati,  
21 te causa quorum et triste negotium  
22 bello decenni vix agitur. Pius  
23 coetus sacerdotum tot aras  
24 templaque et aediculasque sacras  
25 et tot sua ipsa innoxia corpora  
26 ferro atque flammis perdita per nefas  
27 plus quam ferinum barbarumque,  
28 crebra gemens veniam modumque  
29 orat malorum, et te sibi flagitat,  
30 Pax, a Deo, Pax, assidua prece :  
31 "Da, clamitans, nostris diebus  
32 otia, da placidamque pacem,  
33 Pacem sed illam quam dare non potest  
34 mundus, tuae quam regna patris petens  
35 turbae reliquisti, tuique  
36 assidue sibi comprecantur.  
37 Hanc, o Deus, da, praeside Carolo,  
38 quo nec pius Rex nec placidus magis,  
39 pacem, sua qui fraude nulla  
40 regna diu videt inquieta,  
41 simplex ut olim labe carens puer,  
42 sic omnis expers tam juvenis doli.  
43 Delicta quod sunt si sua vulgi  
44 digna prius tibi visa plecti,  
45 at parce tandem, parce, Deus, tuo  
46 Regi, luenti crimina non sua.  
47 Jam dudum et illam mitte Caelo,  
48 mitte tuam in pia regna Pacem,

49 Pacem tuam, inquam, virginis integrae,  
 50 sanctae atque purae criminis et malae  
 51 fraudisque probrosique quaestus  
 52 assimilem, superisque dignam.  
 53 Nam prostituta nil opus altera  
 54 et fraudulenta pace, prioribus  
 55 jam saepius nos qualis annis  
 56 virginea facie fefellit,  
 57 immane monstrum, sphingis et asperae  
 58 Harpyae et atrae Gorgonis aemulum,  
 59 quae, sub puellari decore  
 60 tigridis obtegit acris ungues,  
 61 quarum recurvis atque rapacibus  
 62 ut quemque rostris attigit (horridum)  
 63 captiva pendent membra et atri  
 64 pelle fluunt lacera cruores.  
 65 Hanc pelle pestem, pelle piis Deus,  
 66 Orcique in imas conde voragines,  
 67 emersa terras unde saepe  
 68 puniat ut meritos reviset.  
 69 At vera tu, Pax, missa polo, veni,  
 70 candente corpus concolor undique  
 71 velata nube, candidorum  
 72 si quis honor tibi liliorum.

## IN NVPTIAS

ILLVSTRIVM PRINCIPVM HENRICI LOTARENI ET CATHARINAE CLEVENSIS.

## CARMEN I

O\_26A v.1 Laetum canamus nunc bis Hymen, Hymen :  
 2 cum Lotareno Clevia jungitur.  
 3 Faustum bis omen nuptiarum  
 4 est numerus, bis Hymen canamus.  
 5 Henricus illinc Guisius ille Dux,  
 6 hinc sponsa Clevis ducitur edita,  
 7 e liliorum stirpe uterque,  
 8 stirpis amica suae propago.  
 9 Antiqua vitis palmitibus novis  
 10 gaudet vetustae matris amantibus ;  
 11 stirps prisca gaudet liliorum  
 12 principibus sibi procreatis.  
 13 Ut Rhea quondam, falcifer et senex,  
 14 haec mater, ille <autem> genitor Deum, (vers lacuneux)  
 15 natos, nurus, neptes, nepotes  
 16 non sine laetitia videbant,  
 17 sic Rex Joannes, tot Ducibus pater,  
 18 uxorque gaudent stirpe sua satis ;  
 19 sic et Philippus, sic Renatus  
 20 gaudet avus serie nepotum.  
 21 Sic Carolus Rex Principibus sua  
 22 gaudet creatis jam tot origine :  
 23 nec sunt Deum, nec vana Regum  
 24 gaudia conjugium probantum.  
 25 Dii quod sereno lumine comprobant



26       solemne pactum, pondus habet suum ;  
 27        quae Rexque Regalisque coetus  
 28       Principibus, Ducibusque densus,  
 29       festo celebrant foedera gaudio,  
 30       haec sancta, Diis haec grata jugalibus :  
 31        natosque natorumque natos  
 32        progenerant similes avorum.

## CARMEN II

O\_26B   v.1       Ut post viarum taedia Juppiter  
 2       Phoenici Cadmo Martigenam nurum  
 3        toto dedit caelo favente,  
 4        auspiciibus superis et imis,  
 5       sic post laborum pulchra pericula,  
 6       quos ante tempus pro patria tulit,  
 7        dux ducit ecce Cleviensem  
 8        Harmoniam, auspiciis secundis.  
 9       Cadmi frequentes conjugium novem  
 10       ornasse Musas carminibus ferunt,  
 11        insigne carmen concinentes :  
 12        "Quod decet omnibus est amandum."  
 13       Verbis Camenae nunc totidem sonent  
 14       hoc dulce carmen, quo decor omnibus  
 15        virtusque commendatur, aequae  
 16        cui nihil est homini decorum.  
 17       Nil est decenti fronte decentius ;  
 18       nil est honesto pectore honestius :  
 19        hoc est utrumque Guisianum ;  
 20        hoc et utrumque Nivernianum.  
 21       Non alter illo pulchrior est Duce ;  
 22       non alter illo plus et amabilis :  
 23        ut matris os, sic facta patris  
 24        pulchra refert, et avita corda.  
 25       Non altera illa Principe pulchrior ;  
 26       non altera illa plus et amabilis :  
 27        ut matris os, sic et parentum  
 28        sancta refert pietate corda.  
 29       Par ecce virtus cum pare jungitur ;  
 30       par forma vultus, nobilitasque par :  
 31        non est ut et par liberorum  
 32        non sua sit paribus propago.

## CARMEN III

O\_26C   v.1       Ut pro peractis ante laboribus  
 2       Junonis Heben impiger Hercules  
 3        summo Deum duxit favore,  
 4        festa polo celebrante toto,  
 5       sic proeliorum mille periculis  
 6       pro saepe factis, Clevia Guisio  
 7        plaudente nubit Regis aula,  
 8        qua neque Diis Jovis aula major.  
 9       Est hic, Jovis qui Regis Olympici

10 rex summus instar Carolus enitet,  
 11 qualis renidet cum, remoto  
 12 fulmine, Juppiter os serenat.  
 13 Fratresque, fratrum ceu Jovis aemuli,  
 14 adstant sedentes a Jove proximi :  
 15 Henricus hinc, Neptunus alter ;  
 16 Ditis habens minor alter ora.  
 17 Est parva Juno Margaris unica,  
 18 quae junioris ad thalamos Jovis  
 19 servata, laeto crescit auctu,  
 20 palma velut, vel oliva Cynthi.  
 21 Est hic et ipsa magna Deum parens :  
 22 festis ut olim cum Megalesiis  
 23 fessos jugales axe solvit  
 24 sacra colens sua Dindymene.  
 25 Est hic Deorum, et Semi-deum chorus ;  
 26 est et Dearum pompa decentior :  
 27 quas intuens possis putare  
 28 aut Veneres totidem, aut Dianas.  
 29 Omnes at inter Guisius Hercules  
 30 cum Clevia Hebe conspicuus nitet :  
 31 nec sacra desunt quae ministret  
 32 pocula Diis hilaris Juventus.

## CARMEN IIII

O\_26D v.1 Ursae minoris sidus ut emicat,  
 2 majoris ursae non procul est nitor ;  
 3 dux nunc minorem ducit ursam,  
 4 ursa venit sua magna Regi.  
 5 Clevis ut ista ducit originem,  
 6 Germanicorum parte penatium,  
 7 Germaniam sic ipsa totam  
 8 Elisabetha trahit sequentem,  
 9 magno paratu, maxima Principum,  
 10 augusta sacri filia Caesaris.  
 11 Praeludium sed sunt minora  
 12 festa Ducum ad sacra magna Regis,  
 13 sic ante quam Rex ille salutifer  
 14 ortus stupendos proderet, ante se  
 15 praemisit infantem minorem,  
 16 signa sacri manifesta partus.  
 17 Tu nunc beatus, tu ter ab omine  
 18 tali maritus, terque beata tu  
 19 es sponsa, praesultor futurae  
 20 postmodo Regis uterque pompae.  
 21 Sol ille magni maximus est poli  
 22 in luce plena ; vos quasi sidera  
 23 in nocte sublustri minora,  
 24 dum redeat nova lux, micatis.  
 25 Vos estis ambo dulce crepusculum,  
 26 quod solis ortus anteit aurei,  
 27 gratum viatori levamen,  
 28 Dum rediens micet ipse Phoebus.  
 29 Nunc tota vestro sidere Gallia

30 exsultat, ut cum Lucifer exerit  
 31 os nuper undis, spe propinqui  
 32 solis ovant per opaca gentes.

AD DEVM PRO SANITA TE SIBI RESTITVTA.

O\_27 v.1 Cantate, sacri carminis alites,  
 2 cantate laudes unigenae Deo :  
 3 revixit Auratus, revixit  
 4 deposita viridis senecta,  
 5 dulces ut hymnos concineret Patri,  
 6 qui, quos amico lumine conspicit,  
 7 parcente castigat flagello,  
 8 ceu patria pietate alumnos.  
 9 Lascivientes cum petulantius  
 10 rebus secundis cernit amans pater,  
 11 aut devios obliqua ferri  
 12 per spatia immemores pericli,  
 13 tunc febris aestus, tunc mala frigora,  
 14 tunc et catarrhos, tuncque gravedines,  
 15 assasque tusses, inquieto  
 16 corpora quae quatiunt tumultu  
 17 immittit, idem mortificans et a  
 18 mortis reducens limine pallidos,  
 19 idemque ditans pauperansque,  
 20 abjiciens relevans et idem,  
 21 ut nuper, o Rex, cum tua dextera  
 22 leni merentem verbere contigit  
 23 ardentis Auratum ignis aestu  
 24 continua face saevientis.  
 25 Cum luce lentis urerer ignibus,  
 26 nox duplicaret pervigil improbis  
 27 fervoribus lucis vapores  
 28 profluvio rigui cerebri,  
 29 intus furebat cor populans vapor ;  
 30 fauces coquebat aestifer halitus ;  
 31 venas gravis nullo liquore  
 32 victa cavas sitis ebibebat ;  
 33 quassabat extra tinnula tempora  
 34 totumque fervor vulnificus caput :  
 35 non esca, non potus juvabat ;  
 36 hoc medici latus, hoc amici,  
 37 flentes amici vultibus ambiunt  
 38 maestis : medentes artibus omnibus  
 39 lenire consultant acuti  
 40 saevitiam furiasque morbi.  
 41 Tunc me vetarent tot mala cum loqui,  
 42 suspiriosus corripit impetus  
 43 te, Christe, te Christi parentem  
 44 murmuribus vocitare surdis,  
 45 clemens utrumque numen et impigrum  
 46 audire voces votaue supplicis  
 47 quem paenitet vere, pigetque  
 48 ex animo scelerum priorum,

49 peccasse caelo teste sibi et patre  
 50 proclamitantis saepius ad Deum :  
 51 "Indignus, heu, jam sum vocari  
 52 filius, aut famulus paternus.  
 53 Fac sicut unum me de operariis  
 54 stipes diurnas percipientibus."  
 55 Tot questus aures ad parentis,  
 56 veste nova et decoratur auro ;  
 57 solemnibus intus cena calet focus,  
 58 caeso bicornis matris alumnulo ; (vers lacuneux)  
 59 auditur intus musicorum  
 60 consonus, et ferit astra clangor.  
 61 Major reversus filius invidet  
 62 fratris nepotis, tristis, honoribus :  
 63 "Servo, pater, tecum penates  
 64 assiduus, neque fetus agnae  
 65 umquam immolatus laetificas tibi  
 66 nostras recentes est ad adoras."  
 67 "Inventus, o fili, parenti  
 68 filius est periturus alter."  
 69 Hac placat illum voce pius pater,  
 70 laetus minori sospite filio.  
 71 Sic transfugae unius regressu  
 72 festa agitat potiora caelum  
 73 quam si frequentes excipiat decem  
 74 caelestis intra limina Regiae  
 75 lustos : Dei miranda nostri  
 76 in miseros bonitas clientes.  
 77 Nunc ergo grates carmine debitas  
 78 nato Patrique et Spiritui sacro  
 79 voti reus solvo, poeta,  
 80 crimine cor, lue liber artus.  
 81 Te sospitatus, Christe salutifer,  
 82 auctore solo, sanguine qui tuo  
 83 labes tibi, Rex, supplicantium  
 84 in niveos renovas nitores.  
 85 Non lana succos cum semel ebibit  
 86 mutare novit lota prioribus  
 87 candoribus, novit sed agnos  
 88 fonte suo semel ante tinctos  
 89 Christus, suis si vellera criminum  
 90 contaminarent sordibus, altero  
 91 non fonte, sed mordace nitro  
 92 atque iterum atque iterum lavare.  
 93 Grex unus alba purior est nive,  
 94 foedata nullo pallia cui luto ;  
 95 grex alter albos saepe amictus  
 96 corporeis maculis nigravit.  
 97 Paucos priori connumerant gregi,  
 98 agnum sequentes undique praevium :  
 99 me sat, sat est, inter secundi  
 100 si numeres pecudes ovilis :  
 101 qua pernegator Petrus heri, pudens  
 102 qua publicanus, qua stat adultera,  
 103 famosa qua fundens odores  
 104 stat meretrix, pius et latronum.

105 His, Christe, mixtus supplicibus reis,  
 106 spem firmiorem concipiam tui,  
 107 dicens : "Beatus cui remissa  
 108 sunt scelera et tenebris sepulta."  
 109 Nam tu remisti triste mihi nefas,  
 110 clementis usus verbere iudicis :  
 111 noxaeque certum mi remissae  
 112 indicium fuga prompta morbi.  
 113 Purgatus a te nunc precor, o Pater,  
 114 mentem atque corpus, fac, precor, ut diu  
 115 intaminatus perseverem,  
 116 quod tua vis dare sola possit.

OBSCURA NOSTRAE...

O\_28

v.1 Obscura nostrae gloria sit lyrae,  
 2 sit surda nostri gratia carminis,  
 3 abjectus in terris egensque  
 4 usque morer sine laude vates,  
 5 sic indecoro pauper in otio  
 6 non invidenda sorte nec invida  
 7 vitae quod est posthac relictum  
 8 convenienter agam priori,  
 9 inglorio dum tutus in angulo  
 10 illustrius nil quam decet appetam,  
 11 nil arrogem me posse, nil me  
 12 scire modum meritumque supra.  
 13 Odit superbos et minuit Deus,  
 14 augens minores ; non humilis preces  
 15 non dona fastidit gerentis  
 16 rite sibique suisque, morum  
 17 qui sacra, leges quique colit sacras  
 18 de more patrum, nec putat insolens  
 19 humanaque et divina rerum  
 20 cuncta sibi bene nota soli,  
 21 nec tentat haec, quae sancta senilitas  
 22 prudensque rerum et doctior artium  
 23 decreta sanxit, mente vafra  
 24 ad dubias revocare rixas,  
 25 insanienti nec sapientia  
 26 inflatus, altis nubibus inserit  
 27 os atque visus non ferentes  
 28 aetherae jubar acre flammae.  
 29 Si quid novandum posterioribus  
 30 providit annis de veterum Deus,  
 31 vel lege sacra, vel profana  
 32 signa dedit novitatis ampla :  
 33 ex lege sic res venit ab impetu  
 34 naturae ad artem legis et ordinem,  
 35 a lege dura blanda Christi  
 36 ad juga sic rediere gentes,  
 37 ipso docente et prodigialibus  
 38 firmante signis dogma novis novum :  
 39 in Mose primum, deinde sese  
 40 discipulisque suis sequutis

41 ad summa ventum est, fluxit inanitas  
 42 legisque lexque, et tertius his gradus  
 43 accessit, instaurator aevi  
 44 Christus, apex cumulusque rerum.  
 45 Hic immorari, figere et hic gradum  
 46 nos ipse jussit, per sua praemonens  
 47 nos verba crebro sive Christos,  
 48 sive cavere nothos prophetas,  
 49 per se quod Ille, et quod per apostolos,  
 50 per sorte nactos lumen apostolos  
 51 commune et aevum, jussit hoc nil  
 52 sanctius aut melius putemus.  
 53 Nam quis ferat, quis, jam seniore jam  
 54 labante caelo, saecula denuo  
 55 censu reformantem recente  
 56 ferre putri nova jura mundo ?

## AD GALLIAM

O\_29 v.1 Fecunda prolis Gallia Regiae  
 2 fratres habebat tres, triplici manu  
 3 regale sceptrum ferre dignos,  
 4 Gallia si tria regna haberet.  
 5 Soles sed orbis non recipit duos,  
 6 nec praeter unum Gallia Carolum.  
 7 Ergo novis quaerenda sedes  
 8 imperiis fuerat duorum.  
 9 Ne Regna Regum deficerent genus,  
 10 et tanta nullam materiam sibi  
 11 sortita virtus, otioso  
 12 tabida concideret veterno.  
 13 Quod res gubernans provida Gallicas  
 14 mens cum benigni prospiceret Dei,  
 15 Non Galliam divisit in tres,  
 16 sed tria regna tribus paravit.  
 17 Primumque Regnum Carolus obtinet,  
 18 cum prima natu gloria maximo.  
 19 Henrice, nunc sceptrum secundum  
 20 ecce tibi venit a Polonis.  
 21 At tertium te tertia sors manet,  
 22 Francisce, solus qui superest locus  
 23 fatis, penes ternos ut orbis  
 24 maxima sint tria regna fratres.  
 25 Grates Deo nunc gens age Gallica,  
 26 cujus secundo numine tu tria  
 27 concordium per regna fratrum  
 28 imperio potiere mundi.

 DE HENRICI REGIS POLONIAE INVICTISS. PROFECTIONE.  
 ODE ALLEGORICA.

O\_30 v.1 Heroes sumus, et Deum  
 2 omnes semidei genus :  
 3 omnes tendimus ad polum

4           nostra Pallade freti.  
 5       Alter Tiphys, et alter hic  
 6       auctor carminis Orpheus,  
 7       hic vis Herculis altera,  
 8           Pollux, Castor, Iason.  
 9       Hoc ductore viarum, et hac  
 10       concordi comitum fide,  
 11       non est quod timeat ratis  
 12           concurrentia saxa.  
 13       Sed Triton sibi vult quid hic,  
 14       portans hospita munera,  
 15       non argentea et aurea,  
 16           sed donum leve, glebam ?  
 17       Omen, fallimur ? An latet  
 18       parvo munere maximum ?  
 19       Cui caespes datur hic novus,  
 20           huic instant nova Regna.  
 21       En Euphemus adest, bonae  
 22       famae nomen et ominis,  
 23       qui glebam capit Erricus,  
 24           regni signa Poloni.  
 25       Gentis nulla valentior,  
 26       qua nec viribus altera,  
 27       nec quae justitiam magis  
 28           artes et colat omnes.  
 29       Felix ergo ter, Errice :  
 30       sceptris aucte Polonicis,  
 31       felix terque, Polonia,  
 32           tali Rege potita.

AD HENRICVM POLONIAE REGEM FELICISSIMAM,  
 IOANNIS AURATI PROPEMPTICUM E GALLICO ANTONII BAIFII EXPRESSUM.

O\_31    v.1       Fortis Heroum vetus illa proles  
           2       ad decus dum calle laborioso  
           3       tenderet, multis et opem ferendo, et  
           4           monstra domando,  
           5       omne ducebat breve tempus aevi ;  
           6       dein ubi vitae fuerat peractus,  
           7       neverat qualem sua Parca, cursus,  
           8           digna laborum  
           9       praemia ut tandem caperet suorum,  
 10       liber his tunc ad loca laeta laetis  
 11       transitus, nullius ubi indigentes,  
 12           nilque dolentes  
 13       luderent. Tu, quo duce, salva Gallis,  
 14       fortis Henrice, est sua res, fidelem  
 15       dumque fratri das operam, salubres  
 16           matris et audis  
 17       aure non surda monitus, tuae tu  
 18       inclytae virtutis et aequitatis  
 19       digna jam vivus capiens vidensque  
 20           praemia felix.  
 21       Cum tuam delata corona frontem  
 22       cinget invictam. Genus esse Regum,

23 inque jus Regale labore nullo  
 24 posse venire,  
 25 magnus est divum favor ; at mereri  
 26 regium virtute decus, creari  
 27 sorte nec Regem, Jove rara paucis  
 28 laus datur aequo.  
 29 Quod tibi, Princeps generose, nuper  
 30 contigit, longe tua cum per oras  
 31 fama longinquas volitans, frequentum  
 32 corda Polonum  
 33 movit, ut Regem sibi te vocarent.  
 34 Ergo jam felix, age, perge summum  
 35 carpere insignis tituli cacumen.  
 36 Nulla viarum  
 37 taedia, aut tanti tibi sint pericla,  
 38 quo minus curras citus ad fruenda  
 39 mille regnandi tibi quae voluptas  
 40 gaudia servat.  
 41 Omnia Henrico faveant eunti,  
 42 et viae longum minuant laborem :  
 43 bruma mitescat, subitosque fundat  
 44 veris honores.  
 45 Nunc vagos undis, age, texe nidos,  
 46 ales Alcedon, furiasque caeli  
 47 comprime hiberni : nebulis fugatis,  
 48 rideat aer.  
 49 Ecce, Rex, ultro tibi dona portans  
 50 Rhenus occurrit, comes huic et Albis ;  
 51 ecce te Germania tota mirans,  
 52 laeta salutat ;  
 53 laeta te festis dapibus per urbes  
 54 accipit laetum ; tibi laeta tutos  
 55 transitus praestat, sociasque jungit  
 56 foedere vires.  
 57 Omne longinquis procul usque ab oris  
 58 obvium vulgus tibi subditorum  
 59 jam ruit, magnoque tui videndi  
 60 ardet amore.  
 61 At diu jam te cupide manentes,  
 62 tu, tui grato satia lepore  
 63 oris, et sedes tibi destinatas  
 64 rex novus intra.  
 65 Pax ibi te, Rex, veniente, laeta  
 66 adsit aeternum, maneatque firma.  
 67 Nulla sit genti mala rixa, sed te  
 68 audiat ultro.  
 69 Detur Augustae tibi frontis aurum  
 70 ferre cum laetis avibus ; tenenda  
 71 detur augusta tibi virga dextra  
 72 numine dextro.  
 73 Nestoris regnes tria saecla felix ;  
 74 nos tui certe immemores, bonorum  
 75 vindicis, victoris et improborum,  
 76 arguet aetas  
 77 nulla. Tu nobis pia causa luctus,  
 78 causa tu desiderii perennis :



79 quale nam damnum tua perdidisse  
 80           robora Gallis !  
 81 Sed levet nostras minuatque curas  
 82 de tuo miti vaga fama regno :  
 83 diis tuas ob res hilari secundas  
 84           vota feramus.  
 85 Dii boni, servate, precamur, illud  
 86 Regis Henrici juvenile germen ;  
 87 dii boni, servate bonae parentis  
 88           pignus amicum.  
 89 Tempus in longum facitote sospes  
 90 ut sit Henricus, catus ille Princeps,  
 91 optimi Carli optimus ipse frater,  
 92           optimus et Rex.  
 93 Vosque, quae sacras habitatis undas  
 94 Vistulae, vos, quae colitis virentes  
 95 margines Neprae, veniente Rege,  
 96           plaudite, nymphae.  
 97 Hinc et hinc silvae per utrumque collem,  
 98 hinc et hinc amnis per utramque ripam,  
 99 Rex ter Henrice, et resonate. Rex ter  
 100           optime Regum.  
 101 Nec minus trino celebrate cantu  
 102 optimi Regis similem parentem ;  
 103 Galliae Regis patriae sonate  
 104           optime regum.  
 105 Par pari conjux tibi, teque digna,  
 106 cuique non toto sit in orbe compar,  
 107 ore, virtute, atque lepore, detur,  
 108           optime regum.  
 109 Unde succrescat tibi liberorum  
 110 quae patrem reddat, superetque proles,  
 111 mille qui tota, altera perque mille  
 112           saecula regnent.  
 113 Qui procul fines patrii propagent  
 114 imperi solis nitidos ad ortus ;  
 115 hostium qui amnes jubeant minores  
 116           volvere cursus.  
 117 Barbaros qui vi doceant subactos  
 118 rursus in mores hominum redire ;  
 119 qui tegant armis humiles, superbos  
 120           sub juga mittant.

AD AMPLISS. VIRVM PHILIPPVM HVRALTVM CHEVERNIM,  
 REGIS POLONIAE A SACRIS CONSILIIIS SUPREMUM.

O\_32 v.1 Ut laeta miscens gaudia luctibus,  
 2           diversa in unum pocula, temperat  
 3           divina mortales potestas  
 4           res, moderans <sua> destinata !           (vers lacuneux)  
 5 Plausus eodem tempore Gallia  
 6 tristesque luctus edere cogitur.  
 7           Gaudens Poloni sorte regis,  
 8           maesta dolens eadem recessit.  
 9 Nullus sed ejus damna dolentius

10 fert quam tu euntis, fide Chevernie :  
11 non huic ad Arctum, verum ad Arcto  
12 oppositam comes ire certus.  
13 Absentis hic ni summa negotia,  
14 Huralte, curae credita nunc tuae  
15 te detinerent, et catenis  
16 mille tuos abitus ligarent.  
17 Quas inter omnes cura nec ultima  
18 mandata fertur haec tibi, ne locus,  
19 ne sumptus aut doctor Polonis  
20 desit in artibus educandis,  
21 occultum agit quos nescio quod loci  
22 numen relicta currere patria,  
23 ut, sicut hinc reges, et artes  
24 Regibus hinc repetant decoras :  
25 rerum creandi provida scilicet  
26 Natura non vult omnia in omnibus  
27 nasci locis, commercia ut per  
28 mutua gens societur omnis.  
29 Fortes Polonum fert equites solum  
30 et fert equorum plurima millia,  
31 sed fortium regum ducumque  
32 Gallica terra ferax habetur.  
33 Aptas tabellis fert apibus frequens  
34 terra illa ceras, sed sua cereas  
35 Gallis abundans est per artem  
36 apta manus tabulas arare.  
37 Alternat istas cura Dei vices,  
38 gentes egestas misceat ut sua,  
39 ut nuper extremi Poloni  
40 Gallica cum petiere regna.  
41 De stirpe regem Carolea sibi  
42 Henricum amica poscere Gallia :  
43 cui quicquid est in rege voti  
44 prodiga sors dedit ante tempus,  
45 qui natus alto sanguine Caroli,  
46 dux inter arma est a puerilibus  
47 nutritus annis, terque victor  
48 paene puer rediens ovavit,  
49 non absque divum numine, non sine  
50 et Villocclaro, et Carnavenoio  
51 fidoque consultore te, dum  
52 consiliis tener indigebat.  
53 Tu nunc et idem tu quoque nunc mone,  
54 quamvis adultum et consilii satis  
55 in sese habentem ad summa cursum  
56 culmina servet ut institutum.  
57 Servans honesta, foeda fugans procul,  
58 parcens modestis, asper in improbas  
59 artes, fovens ne gens sit ulla  
60 gente sua magis erudita,  
61 ad quam docendam (nam facilis bonae ut  
62 cultura terrae, sic boni et ingenii)  
63 hinc mille doctos ducat illuc,  
64 mittat et huc totidem docendos.  
65 Non certe ego annis, non ego viribus

66 parcam, pigebit pulpita Regia  
 67 nec publice rursus legentem  
 68 scandere me, et juvenum laborem  
 69 tentare : sunt et nunc animi mihi  
 70 nervique ; tantum Regis age ut favor  
 71 ne desit, Huralte, et tuorum  
 72 copia sit facitis librorum :  
 73 quos mille Graecos, mille et Hebraicos,  
 74 et tunc Latinos, tunc patrios tua  
 75 sacro vetustatis verendos  
 76 numine bibliotheca servat.

IN CAROLVM NONVM, ALTERVM HERCVLEM GALLICVM.

O\_33 v.1 Qualem subactis libera belluis  
 2 tellus ademptum flebilis Herculem  
 3 quaesivit, in caelum <ante> raptum (vers lacuneux)  
 4 certa, tamen gemebunda luxit :  
 5 non quod beatos in superum choros  
 6 ascitus esset scilicet invidens,  
 7 tanti sed assertoris orbam  
 8 se miserans fera monstra contra,  
 9 talem secundum Gallicus Herculem  
 10 te luget orbis nunc sibi, Carole,  
 11 cui non decem caelum labores,  
 12 tota sed acta meretur aetas  
 13 inter ferarum saeva pericula  
 14 quas vis subegit non sine diis tua :  
 15 nam quis tot humanis peracta  
 16 tantaque viribus esse credat ?  
 17 Imbelle non tu jam tener otium  
 18 inter puellas ducis : in Hercule  
 19 quod damnet hoc invenit unum  
 20 nata mares tua mens ad artes.  
 21 Sed saepe silvis nunc agis impiger  
 22 venator ursos, saepe truces apros,  
 23 sic vera praeludens ferarum  
 24 bella tibi peragenda posthac.  
 25 Tu vix decennis Rex novus aemulae  
 26 angues novercae fortiter opprimis :  
 27 nam mater, heu, quondam noverca  
 28 Gallia tunc tibi paene facta.  
 29 Major leonem tu Nemeaeium  
 30 non sternis unum, sed simul asperos  
 31 clvua trinodi tres leones  
 32 per totidem fera bella mactas.  
 33 Tu balteo discingis Amazonem  
 34 in te ruentem numine non suo.  
 35 Tu Ditis e saevis catenis  
 36 Pirithoum miserans reducis.  
 37 Stymphalidas tu strenuus alites  
 38 figis sagittis arcipotentibus  
 39 et cuncta turpi polluentes  
 40 proluvie prohibes vagari.  
 41 Tu nuper ipsum Geryonae triplex

42 monstrum vel uno proteris impetu,  
 43       senis licet fidens lacertis,  
 44       et manibus pedibusque senis.  
 45 Tu cum quierant bella, domesticos  
 46 coetus colebas sacra docentium,  
 47       laudanda priscorumve facta,  
 48       aut hilares etiam Camenas.  
 49 Tu ceu catenas auribus aureas  
 50 ex te loquente pensilis inserens  
 51       turbae, tuae linguae disertae  
 52       eloquio populum trahebas.  
 53 Hinc usitatum laus tua jam modum  
 54 egressa factis cum foret arduis,  
 55       occurrit huic tandem domandum  
 56       invidiae exitiale monstrum.  
 57 Humana quod vis nulla revincere  
 58 cum posset, Oetae mox velut ignibus  
 59       ereptus, in coetum Deorum es  
 60       a Jove te miserante vectus.  
 61 Nunc unde flammis corporis irritas  
 62 morsusque ridens integer invidos,  
 63       amplexibus solaris Hebes  
 64       conjugis Austriacae dolorem.

IO. AVRATI POETAE REGII IN PSALMOS DAVIDIS  
 A TOSCANO CONVERSOS PRAEFATIO.

O\_34   v.1   Qui maximorum maximus auctor est  
           2    miraculorum, cunctipotens Deus,  
           3    seu jura quis mutata rerum,  
           4    sive vices hominum novatas  
           5    spectet : retrorsum solis equos licet  
           6    non usitata flexerit orbita,  
           7    curvarit undas in lacunar,  
           8    verterit in glaciem vapores.  
           9    Glebam liquentem finxerit in decus  
 10        caelestis oris, et muliebris os  
 11        contra figurae congelarit  
 12        in salis effigiem rigentis,  
 13        miranda nusquam magna tamen magis  
 14        est inter ejus facta potentia  
 15        quam Davidem quae per tot unum,  
 16        Protea ceu, variavit ora :  
 17        nunc ex inermi cum pecudum duce  
 18        fecit gigantis funere nobilem  
 19        victorem, et e funda bilibri  
 20        turbineae grave fulmen hastae.  
 21        Nunc pauperis cum de domino gregis  
 22        regem superbis gentibus addidit,  
 23        regis fuisset qui ferocis  
 24        utilis ad furias minister.  
 25        Omnes sed illas inter Iessidae  
 26        dotes stupendas, quid Deus efficax  
 27        effecit umquam tam stupendum  
 28        quam rude de puero prophetam ?

29 Ventura rerum non modo ceteros  
30 inter prophetas numine qui canat  
31 caeleste plenus, unus, omnes  
32 quae reliqui monuere vates.  
33 Sed censum in unum singula contrahat,  
34 sanctorum et omnes historias patrum,  
35 index librorum, summa rerum,  
36 denique biblia bibliorum.  
37 Quae multa cum vix pagina compleat,  
38 rarus, laboris parcus, et otii  
39 non liber, a calce usque metam  
40 perlegat omne semel per aevum.  
41 Et longus haec quae volvere sit labor.  
42 Majus fideli deinde negotium  
43 mandare menti : ne perirent  
44 ergo sacrae monimenta legis,  
45 obliuiosae tradita inertiae,  
46 hoc praecaventis provida mens Dei  
47 et multa paucis, et soluta  
48 lege, suis numeris ligavit :  
49 infirmioris scilicet artifex  
50 mortalitatis conscius addidit  
51 diviniorem vim caducis  
52 ingeniis, numerosa verba.  
53 Quod si Deo nil esse perennius  
54 constat, Deo nec par numero magis  
55 quicquam videtur, qui ipse simplex,  
56 simplicibus numeris notatur.  
57 Divinius nil mentibus intulit  
58 nostris, suae quam mentis et ordinem,  
59 per quos et omnes res perennant  
60 in memori numeros cerebro.  
61 Et gaudet ipsis ut numeris Deus,  
62 humana sic mens, nilque fidelius  
63 custodit aptos quam quod ipsi  
64 per numeros dedit ars canora.  
65 Hoc est quod olim cuncta recentibus  
66 rebus per orbem sacra profanaque  
67 oblivione ne interirent,  
68 sunt numeris modulata certis.  
69 Haec angelorum, haec linguaque daemonum  
70 arcana terris verba ferentium ;  
71 haec vatibus vox, haec Sibyllis,  
72 hinc Thyasi, Tripodesque Phoebi  
73 ementientis verba prophetica  
74 vatium piorum, plectra per impia,  
75 dum sacra veris fabulosa  
76 assimulat fidibus canoris.  
77 Altum sed illis nostra silentium  
78 terras per omnes imposuit lyra,  
79 pulsante Christo, cum tacere  
80 Pythius atque coactus Ammon.  
81 Ut cum lupina de cute tympanum  
82 factis ovilla de cute tympanis  
83 intersilendi causa pulsum  
84 efficitur sonitu potenti,

85       dispar nisi quod comparis est modus  
 86       portenti, ovis cum muta fit a lupo.  
 87       Noster lupos at mitis agnus  
 88       perpetuo jubet esse mutos,  
 89       dum personabit Regia barbitus  
 90       sacras per aedes, perque sacros choros :  
 91       quas Christus inter, Rex ut olim,  
 92       ambulat assiduus choragus,  
 93       mites ut inter pastor iens oves.  
 94       Balante nullum, praeter Amen Amen,  
 95       clangore murmur personantes,  
 96       per placidas humilesque caulas,  
 97       non inter illos agnivoros lupos,  
 98       qui vera sacri vatis adulterant  
 99       plus quam ferino <nempe> rictu  
 100       barbarici populi per antra.  
 101       Qui nos priores ne videant procul  
 102       ponantque nobis triste silentium,  
 103       nos hac priores occupemus  
 104       voce feras agitare turpes,  
 105       agnina qualem vellera contegunt  
 106       stirpem luporum blanda ferocium,  
 107       qualesque ravi pelle monstri  
 108       daemonnes insidiantur atri.  
 109       Quas has et illas unica beluas  
 110       audita terrent Regia Cantica :  
 111       testis Saulis mens levata  
 112       Davidico furibunda cantu.  
 113       Haec testis olim ; tempore testis hoc  
 114       coetus fugatus Daemone nequior  
 115       a rusticae mentis popello  
 116       Davidicas recitante voces,  
 117       devota quas plebs aedibus in sacris  
 118       cantare pergat pectore simplici,  
 119       plus mente pura quam diserto  
 120       eloquio, numerisque comptis.  
 121       Hi dum piae sint artis amantibus  
 122       cantus, sonoris quos nec Anacreon,  
 123       nec provocet Sappho camenis  
 124       per sua deliciosa plectra.  
 125       His personetur cantibus a pio  
 126       auris magistro pura puertiae ;  
 127       haec jam rudis discat juvenus  
 128       pro citharae numeris profanae.  
 129       Divina quanto quae numerosius  
 130       psallunt amandis vocibus orgia,  
 131       tanto piis sunt aptiora  
 132       pectore quae memori reponant.  
 133       Volvantur ergo cetera sedulo  
 134       rerum sacrarum magna volumina,  
 135       volvantur illa, sed canantur  
 136       quae memores canit hic per hymnos.

## ECCLESIAE AFFLICTAE AD DEVM ORATIO. PSAL. LXXIIII.

O\_35 v.1 Quo, Deus, quo nos patieris usque  
 2 opprimi per vim quasi derelictos ?  
 3 Quo tuus fumans fremet usque nasus  
 4 in tuum ovile ?  
 5 Sis memor coetus tibi jam vetusto  
 6 ture possessi ; pia sit Sionis  
 7 cura, sortito tibi qui sacer mons  
 8 obtigit olim,  
 9 grata quae sedes tua. Suscitato  
 10 vindicem dextram : fac ut hoste fuso  
 11 funditus stragis cumules acervos,  
 12 qui tua templa  
 13 diruens, aequata solo reliquit  
 14 impius ; sacris penetralibusque  
 15 in tui tecti sua signa figens  
 16 victor ovavit  
 17 insolens. Silvas velut inter arctas  
 18 si quis adductam manibus bipennem  
 19 libret ex alto, laceretque duro  
 20 robora ferro,  
 21 sic furens hostis ferus arte valvas  
 22 Daedala sculptas, operum laborem  
 23 nobilem, saeva minuens securi  
 24 misit in ignes.  
 25 Quin tabernaculum pedibus protervis  
 26 proterens, Rex sancte, tibi sacratum  
 27 polluit ; secum tacitoque frendens  
 28 murmure dixit :  
 29 "Cum suis sacris agedum ministros  
 30 igne consumamus eodem ibidem."  
 31 Dixit, et sacras facibus profanis  
 32 miscuit arces.  
 33 Nulla dant finem manifesta signa  
 34 cladibus tantis, superest nec ullus  
 35 mentis interpres superum, malorum  
 36 terminus a quo  
 37 certus ostendi per aperta visa  
 38 possit. Heus ! Quo jam, Deus, usque nobis  
 39 exprobrans hostis tua sacra inultus  
 40 numina temnet ?  
 41 Cur tuam dextram revocans recondis ?  
 42 Quin eam profers potius, sinuque  
 43 ultor educis ? Genus et nocentum a  
 44 stirpe revellis ?  
 45 Rex ab aeterno meus est Deusque  
 46 summus, in terrae mediae umbilico  
 47 qui suam nobis opifer salutem  
 48 proferet olim.  
 49 Tu, tua magna mare dissipasti  
 50 dextera, fortis ; capita atque cristas  
 51 tu rebellantum inter aquas draconum  
 52 comminuisti.  
 53 Colla tu vasti spatiosa ceti  
 54 fracta porrexti, Aethiopum propinqua

55 solis ardenti face decolorum  
 56 gentibus escas.  
 57 Largus erupit, feriente te, fons  
 58 rupe de dura ; tibi profluentum  
 59 amnium lapsus rapidos coacti  
 60 sistere cursus.  
 61 Nox tibi, servitque dies : diurnum  
 62 tu jubar solis, minus ordinasti  
 63 lumen et lunae, quod opaca noctis  
 64 ora serenet.  
 65 Tu suos terrae positos notasti  
 66 terminos ; tu aestatem hiememque certis  
 67 legis aeternae vicibus reducis,  
 68 atque recondis.  
 69 Nunc tibi in mentem veniat quod hostis  
 70 non tuum verbo violare numen,  
 71 non tuos sanctos habuit nefas in-  
 72 -cessere probris.  
 73 Ne tuae, ne des animam gementis  
 74 turturis saevarum avidis ferarum  
 75 faucibus, fractam neque tu tuorum  
 76 despice plebem.  
 77 Sed recorderis tibi quod tuisque  
 78 foedus est ictum : tenebris tenentur  
 79 cuncta terrarum loca, plena fraudis,  
 80 plena rapinae.  
 81 Ne sinas frustratus ut a sua spe  
 82 pauper, et turpem patiens repulsam  
 83 tristis incedat : tua sed fac olim  
 84 numina laudet  
 85 laetus et compos. Age surge, causam  
 86 tu tuam defende, Deus : memento  
 87 quis dies totos lacerere probris  
 88 gentis iniquae.  
 89 Excidant ne mente tibi nocentum  
 90 impiae voces : fremitus eorum  
 91 in dies crescit, tua qui rebelles  
 92 templa laccessunt.

IN A. THEVETI COSMOGRAPHICA.

O\_36 v.1 Non ergo nullum carminibus tuis,  
 2 Cumaea vates, pondus inest, quibus  
 3 Christi sub adventum canebas  
 4 cuncta retro renovanda saecla.  
 5 Jam Tiphys alter, jam redit altera  
 6 heroas Argo quae vehat inclytos,  
 7 de stirpe divorum creatam  
 8 progeniem superis secundam.  
 9 Qui nota nondum per maris aequora,  
 10 plenas pericli praecipitis vias  
 11 ausi, novum videre caelum,  
 12 astra nova, et nova regna, et urbes.  
 13 Videre quicquid distulerat Deus  
 14 seros in annos patribus abditum



15           nostris, iniquas arguentes  
 16           de superis hominum querelas,  
 17           falso querentum cuncta parentibus  
 18           inventam primis, et sibi jam nihil  
 19           a diis relictum, quod sagaci  
 20           erueret novitas labore.  
 21           Non haec Deo mens invida, non inops  
 22           haec est egestas, ut pater omnia  
 23           donarit illis aequus, hos ceu  
 24           vitricus improbus abdicarit.  
 25           Semper fuerunt, semper erunt sequens  
 26           quae promat aetas praetereuntibus  
 27           abstrusa saeculis : ars recentum est  
 28           aere libros, Jovis aere tela  
 29           conflare, in usus unica dispares  
 30           ut lenta plumbi lamina serviat,  
 31           nunc pacis instrumenta formans,  
 32           horrida nunc trucis arma belli.  
 33           Ludis ut olim nobile publicis  
 34           Romanus artis cum Babyloniae  
 35           expendit auleum, superbae  
 36           Maeonium vel acus laborem,  
 37           aut cum triumphis Palladiis tumens  
 38           monstrant Athenae textile per dies  
 39           solemnibus festos Minervae,  
 40           in Panathenaico paratu :  
 41           dum paulum ab alto margine tollitur,  
 42           ut se stupentum visibus explicet,  
 43           apparet imperfecta rerum  
 44           tot series, aciesque truncae  
 45           crescente crescunt undique pallio :  
 46           jam summa parent culmina cuspidum,  
 47           jam crista, jam conus coruscans,  
 48           jam caput, os, humerique summi,  
 49           donec suos per tota velut gradus  
 50           diffusa late vestis in ultimas  
 51           subsedit oras, inque texta  
 52           proelia summa patent, et ima.  
 53           Ut cum ferorum semine dentium  
 54           prognata quondam cominus agmina,  
 55           prodire ruptis visa sulcis,  
 56           terruerant proprium satorem,  
 57           sic, quo theatri non opulentior  
 58           est apparator maximus omnium  
 59           aedilis, haud spectanda rerum  
 60           cuncta Deus tribuit vetustis.  
 61           Sensim tapetum sed velut exserens,  
 62           nunc hoc, modo illud leniter exhibet  
 63           spectandum, in admirationem  
 64           artificis trahat ars ut omnes.  
 65           Et nunc Iason, nunc vagus Hercules  
 66           telluris oras eruit ultimas,  
 67           nunc lentus erroris viaeque  
 68           Neritius, Phrygiusve ductor.  
 69           Sed nullus umquam plus obiit maris  
 70           terraeque, nostro quam tua saeculo,

71           Thevete, seu Tiphete mavis,  
 72           Tiphin avum superans juvenus.  
 73       Tu mensus orbem, qua patet, undique  
 74       mundi superni testis et inferi,  
 75           ad nos ut alter non Ulysses,  
 76           Mercurius remeas sed alter.  
 77       Qui gratus altis hospes et infimis  
 78       ambas inultus it, redit et vias :  
 79           huic par tuus, Thevete, cursus,  
 80           par tuus huic lepor ipse fandi.  
 81       Dum falsa veris miscet Ulysseus,  
 82       contaminavit historiae fidem,  
 83           narrator orbis fabulosus,  
 84           tota tua et sine fraude carta.  
 85       Verax soli tu censor es et sali  
 86       atque umbilici certior arbiter  
 87           quam quas ferunt utroque missas  
 88           axe aquilas coiisse Delphis.  
 89       Non ergo solum tu crucis aureae  
 90       insigne gestas, quod cruce nobilem  
 91           olim peragraris Sionem,  
 92           palmiferi gregis archimystes,  
 93       late patentis sed spatium crucis  
 94       toto quod errans orbe cucurreris,  
 95           utrumque qua dimetientem  
 96           orbis habet pia crux capacis :  
 97       signum quod olim provida mens Dei  
 98       elegit, in quo brachia tenderet,  
 99           dextrumque, laevum, altum, profundum  
 100       mensus, opus repararet auctor.  
 101       Paucis sed istud curriculum datur  
 102       cursare, ut illi certa renuntient  
 103           multis, at inter hos fidelem  
 104           posteritas te habitura testem,  
 105       quae te beato facta beatior,  
 106       Thevete : quod per mille pericula,  
 107           per mille vidisti labores,  
 108       tuta tuis videt omne libris.

DE SANCTISSIMA NATIVITATE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

O\_37   v.1   Eloquar mutis sileamne chordis ?  
          2    Concinam pulsus, fidibusne lentis  
          3    supprimam Christi miseris salubrem  
          4    gentibus ortum ?  
          5    Rumpit affectus, pudor hinc retractat,  
          6    acer in vastos amor ire fluctus  
          7    ardet, a coepto remoratur ausu  
          8    ardua moles.  
          9    Hunc, mei quamvis fragiles lacerti  
 10       non satis tanto faciant labori,  
 11       pango : Caelestis dabit impetrata  
 12           Curia vires.  
 13       Pauca de primis repetenda saeculis  
 14       persequare, nostrae<que> caput ruinae           (vers lacuneux)

15 heu ! Dolens cogor meminisse : sed quin  
 16 solvimus oras.  
 17 Invidus postquam Stygiis adortus  
 18 artibus primos coluber parentes  
 19 vicit, et taetra maculavit omnes  
 20 labe nepotes,  
 21 pressit et caecis diuturnus umbris  
 22 error humanum genus, et paternae  
 23 proh ! graves noxae luimus potenti  
 24 vindice poenas.  
 25 Prona subjectis hominum querelis  
 26 horridam durae soror Aequitatis  
 27 saepe tentarat religare summi  
 28 Principis iram.  
 29 Illa sed turpem tulerat repulsam.  
 30 Quae Deo supplex tamen advocata  
 31 institit coram fragilem tueri  
 32 iudice causam.  
 33 At memor culpa veteris supernus  
 34 Rex foro tristem expulerat, nec hujus  
 35 sacra tractari minitans volebat  
 36 pacta salutis.  
 37 Flexa sed longo Patris ira demum  
 38 questui cessit placuitque causam  
 39 discuti : hinc libra stetit aequa virgo,  
 40 hinc Dea clemens.  
 41 Profluo quae mox gemebunda fletu  
 42 orsa sic coepit : "Pater alme Divum,  
 43 qui tuo certa vice cuncta nutu  
 44 sidera torques,  
 45 hoc scio quantum mihi sit negoti,  
 46 quae tibi infensos (metuende iudex)  
 47 et reos vinctos homines laborem  
 48 solvere vinclis.  
 49 Sed meae sanctus pietatis ardor  
 50 movit, et rectae modulus Bilancis :  
 51 dura vel saevae lacrimis maderent  
 52 Gorgonis ora.  
 53 Gentium clauso vaga cymba portu  
 54 fluctuat", tersitque oculos, diuque  
 55 fixa plorantum tacito senatu  
 56 causa pependit.  
 57 "Jam sub occasus vetus ordo rerum  
 58 currit et dudum titubat creata  
 59 totius moles fabricae, tot et jam  
 60 degimus annos.  
 61 Nullus ad nostras remeavit arces  
 62 spiritus quamvis niveus, sed alter  
 63 Tartarus clausit meliora quaeque  
 64 carcere Ditis.  
 65 Obstat infracto mihi prisca jussu  
 66 plaga, sed digna hoc scelus expiavit  
 67 poena, venturis miserere saeculis,  
 68 frigeat ira.  
 69 Mox quid extremi meruere longa  
 70 stirpe deducti ? Proavita in ipsum

71 quid retorquentur male posteriorum  
72 crimina fontem ?  
73 Adde quod caeli vacuum sedile  
74 jam novos desiderat inquilinos,  
75 accitos summumque Gallis in orbem  
76 municipesque."